This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3504.3.50

Harvard College
Library

FROM THE FUND BEQUEATHED BY

Archibald Cary Coolidge

Class of 1887

PROFESSOR OF HISTORY
1908–1928

DIRECTOR OF THE UNIVERSITY LIBRARY
1910–1928



QUID SECUNDATUS

POLITICAE SCIENTIAE

INSTITUENDAE CONTULERIT

HANC THESIM

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI PROPONEBAT
AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

Émile DURKHEIM

Scholae normalis olim alumnus.
Scientiae politicae docendae praefectus in Burdigalensi
Litterarum Facultate.

BURDIGALAE

EX TYPIS GOUNOUILHOU

11, VIA DICTA GUIRAUDE, 11.

—

1892

QUID SECUNDATUS

POLITICAE SCIENTIAE

INSTITUENDAE CONTULERIT

QUID SECUNDATUS

POLITICAE SCIENTIAE

INSTITUENDAE CONTULERIT

HANC THESIM

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI PROPONEBAT
AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

Émile DURKHEIM

Scholae normalis olim alumnus,
Scientiae politicae docendae praefectus in Burdigalensi
Litterarum Facultate.

BURDIGALAE

EX TYPIS GOUNOUILHOU

11, VIA DICTA GUIRAUDE, 11.

—

1892

39594.3.50
✓
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
MAR 18 1943
Coolidge Fund

MEMORIAE

FUSTEL DE COULANGES

QUID SECUNDATUS

SCIENTIAE POLITICAE

INSTITUENDAE CONTULERIT

PROOEMIUM

Historiae nostrae immemores, consuevimus scientiam politicam ducere alienam a moribus nostris gallicoque ingenio. Quoniam enim clarissimi philosophi qui de his rebus recentissime scripserunt in Britannia aut Germania floruere, obliti sumus hanc scientiam apud nos primum exstitisse. Attamen non modo Comte noster eam primus omnium bene fundavit, in suas partes descripsit et nomine proprio, quanquam aliquatenus barbarico, sociologiam scilicet, appellavit, sed omnis ille impetus ad politicas quaestiones a philosophis nostris, qui duodevicesimo saeculo vivebant, exortus est. Ex illa autem inclyta scriptorum manu longe ante omnes eminet Secundatus quippe qui in suo libro, qui *De l'Esprit des Lois* inscribitur, novae disciplinae principia instituerit.

Sane in hoc opere Secundatus non de omnibus politicis factis disseruit, sed de unico genere eorum, id est de legibus. At ratio qua ad interpretandas varias juris

formas utitur, et ad cetera civilia instituta valet omninoque transferri potest. Immo, cum leges ad totam civilem vitam pertineant, eam fere universam necessario attingit; nempe ut exponat quid sit domesticum jus, quomodo leges cum religione, moribus, etc., concinant, naturam familiae, religionis, morum considerare cogitur, ita ut vere tractatum de summa rerum politicarum scripserit.

Ne speres autem hunc librum sententiis abundare quae, tanquam plane demonstrata theoremata, praesenti scientiae retineri possint. Eo enim tempore, omnia paene instrumenta deerant quae necessaria sunt ut naturam civitatum penitus scrutari queamus. Historia, adhuc infans, primum adolescere incipiebat; peregrinatorum narrationes de gentibus remotis earumque moribus et legibus rarissimae erant et incertae; nova illa disciplina qua varii vitae eventus, mortes, matrimonia, crimina, etc., certa ratione computantur, nondum erat in usu. Praeterea, cum civitas nihil aliud sit quam immane quoddam animal quod propriam suam mentem, nostrae menti cognatam, habet, leges humanae societatis eo melius et facilius reperiuntur quo leges humanae mentis jam cognitae sunt; novissimo autem saeculo omnia haec in initio tantum erant et vix inchoata. At procul abest quin nulla alia via de scientia bene merendi sit quam eam veritatibus certis locupletari; sed non minoris pretii est eamdem suae materiae, naturae ac methodi consciam efficere et fundamenta quibus stabit praeparare. Illud autem est quod studiis nostris Secundatus contulit. Res gestas saepius non recte interpretatus est et ita ut facile redarguatur; sed

nemo antea tam longe processerat in hac via quae posteros ad meram politicam scientiam adduxit; nemo tam plane perspexerat quae conditiones essent hujus scientiae institutioni necessariae.

Sed quae sint hae conditiones prius exponamus.

CAPUT PRIMUM

QUAE SINT CONDITIONES INSTITUTIONI POLITICAE SCIENTIAE NECESSARIAE

I

Nulla doctrina scientiae nomen meretur quae non materiam aliquam determinatam, quam exploret, habeat. Scientia enim in rebus versatur; nisi quid ei datum sit quod describat et interpretetur, in vacuo consistit nec quicquam est quod sibi proponere possit ultra hanc descriptionem atque interpretationem. Ea ratione numeros arithmetica considerat, geometria spatium et figuras, scientiae naturales corpora animata et inanimata, psychologia denique mentem humanam. Itaque ut scientia politica institui posset, ante omnia necessarium erat materiam certam ei assignari.

Primo quidem adspectu nihil promptius esse videtur quam hanc difficultatem exsolvere. Nonne enim Politica res politicas, id est leges, mores, religiones, etc., pro materia habet? Sin autem historiam respicies, tibi constabit nullum philosophum, usque ad recentissima tempora, eas ita concepisse. Etenim omnia ea ab hominum voluntate ita pendere arbitrabantur ut eadem non sentirent vere res esse, haud secus atque ceteras naturae res, quae suas proprietates habent ideoque scientias requirunt, quibus describantur et explicentur; sed satis esse videbatur si humanae voluntati quid petendum, quid fugiendum esset in societatibus consti-

tuendis, quaerebatur. Itaque civilia instituta et facta, non qualia essent et unde orta, sed qualia esse deberent, inquirebant; non iis curae erat naturae imaginem quam maxime veram nobis reddere, sed ideam perfectae cujusdam societatis admirationi et imitationi nostrae proponere. Aristoteles ipse, quamvis experientiae magis quam Plato consuluerit, non communis vitae leges reperire sibi proposuit, sed quae sit optima civitatis forma. Principio ponit civitatibus nihil aliud appetendum esse quam ut cives virtutis usu felices efficiantur virtutemque in contemplatione consistere; neque hoc statuit tanquam legem quam societates revera observent, sed observare debeant ut homines naturam suam exsequantur. Postea quidem res historicas respicit, sed fere tantum ut eas judicet monstretque quomodo sua principia variis casibus aptari possint. Alii vero politici scriptores, qui Aristoteli successerunt, hujus exemplum plus minusve secuti sunt. Seu res omnino negligunt, seu attentius aut levius eas considerant, omnes ad id pergunt, non ut eas cognoscant, sed corrigant aut etiam ab imo ad summum convertant; praesentia igitur praeteritaque nihil paene habent quod eos destineat, sed ad futurum spectant. Omnis autem doctrina, quae ad futurum spectat, cum certa omnino materia careat, non scientia, sed ars appellatur.

Fateor equidem hanc artem sine quadam scientia nunquam fuisse. Nemo enim unquam asseruit aliquam reipublicae formam ceteris anteponendam esse qui non argumentis demonstrare tentaret cur eam anteponeret; haec autem demonstratio e rebus constet necesse est. Si quis, exempli gratia, democratiam credit aristocratiae praestare, illam cum humana natura melius congruentem monstrat, aut historia ostendit a liberis gentibus alias superatas esse, etc. Quodcumque ten-

tamus, cum ratione utimur seu ad rerum naturam scrutandam, seu ad praecepta vitae edicenda, ad res redeundum, ergo ad scientiam.

At primum, cum scriptores suas his de rebus opiniones e conditione humana potius quam e statu societatum deducere soleant, haec scientia, si modo eo nomine uti liceat, nihil quod vere politicum sit plerumque in se continet. Quid enim? Cum demonstratum est homines ad libertatem natos esse, aut contra securitate ante omnia egere, et inde concluditur quomodo respublica constitui debeat, ubi est scientia politica? Quidquid in iis disputationibus scientiam imitatur, ad psychologiam pertinet, quidquid autem ad politicam, ars est; aut, si quid forte ad meram politicarum rerum descriptionem et interpretationem attinet, hoc certe minorem secundumque locum obtinet. Hujus generis est Aristotelis doctrina de causis quae constitutiones mutant aut evertunt.

Praeterea scientia, cum arte miscetur, sinceram naturam suam servare nequit, sed in nescio quid ambiguum vertitur. Ars enim, cum in actu consistat, festinare cogitur scientiamque, quam in se habet, secum rapit et urget; scientia autem tantam festinationem non patitur. Nam quoties inquiritur quid agendum sit — quod proprium artis munus est — non cunctari sine fine licet; sed quam promptissime respondendum est, quia vivendum. Si civitas laborat, non dubii haerere possumus dum politica scientia morbi naturam descripserit et causas repererit; sed sine mora agendum est. Attamen, quia sumus mente praediti et deliberandi facultate, non temere decernimus; immo, necesse est intelligamus aut potius intelligere credamus consiliorum nostrorum rationes. Itaque facta quae nobis in promptu sunt colligimus, conferimus, celeriter inter-

pretamur; uno verbo, scientiam extemporalem inter eundum instituimus qua opinio nostra fundata esse videatur. Ea est scientia quae media ipsa in arte invenitur; vides autem quam adulterata! Propterea quod sine ulla methodo processit, nihil aliud praebere potest quam dubias probabilitates quae nullam fere auctoritatem apud nos habeant nisi quam nos ipsi iis suppeditemus. Eas enim sequimur, non quod argumenta quibus demonstrari videntur nihil incerti relinquunt, sed quia intimis affectibus nostris respondent : nos ad id tantum inclinant quod sponte expetimus. Ceterum in iis quaestionibus, cum de utilitate nostra agatur, omnia affectus animi acriter movent. Quod ad vitam nostram tanti momenti est non tranquilla mente expendere possumus; sunt autem quae amamus, quae odimus, quae optamus, nostraque odia, amores, desideria nobiscum afferimus quae meditationem nostram perturbant. Adde quod nulla certa regula exstat qua quid per se utile sit, quid non, secerni possit. Nam cum plerumque una et eadem res ex una parte utilis, ex altera contra damnosa sit, neque damnum cum utilitate more mathematico comparari queat, quisque naturam suam sequitur et ex indole sua aut hanc aut illam partem unice considerat alteramque omittit. Sunt, exempli gratia, qui civium concordiae adeo student ut nihil utilius esse censeant quam si civitas quam maxime una efficiatur, nec libertatem desiderent nimia hac cohaerentia sublatam; sunt contra qui libertatem ante omnia ponunt. Itaque totus ille argumentorum contextus, quibus variae illae sententiae nituntur, non res rerumque verum ordinem exprimit, sed animorum tantummodo habitus : quod a vera scientia abhorret.

Scientia igitur ab arte ita discrepat ut naturam suam sequi non possit, nisi sui juris omnino sit, id est certae

cuidam materiae sese applicet ut eam cognoscat, sine ulla utilitatis cura. Ea enim conditione, urgente nulla vitae necessitate, procul a forensibus privatisque certaminibus in umbratili pace et tranquillitate studiis vacare licet, nec quidquam nos incitat ut longius in concludendo progrediamur quam sinunt argumenta. Sane ea ipsa quae de rebus abstractis cogitamus e pectore oriuntur; pectus enim fons totius vitae. Sed, ni animi affectibus temere inservire velimus, opportet eos ratione moderari rationemque ideo supra vitae casus et eventus extollere; namque aliter, cum cupiditatibus omnigenis impar sit, se quo impellerent necessario converteret.

Ne credas autem scientiam ideo inutilem esse ad regendam hominum vitam; arti contra eo magis auxiliatur quo melius ab ea separatur. Etenim quid nobis optabilius est quam mente et corpore sanos esse? Sola autem scientia determinari potest in quo consistat mentis corporisque bona valetudo. Scientia enim, cum varias hominum societates per genera et species separet, quae sit normalis vitae politicae forma in quaque specie non describere non potest, propterea quod speciem ipsam describit: nam quidquid ad speciem attinet normale est, quidquid autem normale, sanum. Praeterea cum in altera scientiae parte de morbis morborumque causis agatur, non modo quid optandum, sed etiam quid fugiendum et qua via arcenda pericula sint, admonemur. Itaque hoc artis ipsius refert ut scientia ab ea sejuncta quasi manu mittatur.

Addendum est autem cuilibet scientiae suam materiam propriam et peculiarem esse debere : nam si cum aliis scientiis eam communem haberet, ipsa cum iis confunderetur.

II

Non omnis autem materia scientiae apta est.

Scientiae primum opus est res, de quibus agitur, quales sint describere. Si vero adeo inter se differant ut nullum genus constituant, nulla earum descriptio rationali via tentari queat. Singulae enim ex se, omissis aliis, considerari ac definiri debeant. At omni individuo insitae sunt infinitae proprietates inter quas nulla selectio fieri possit : describi autem infinitum nequit. Nihil aliud igitur reliquum esset nisi ut poetarum litteratorumque more tractentur qui res, quales esse videntur, sine ulla ratione et methodo depingunt. Contra, si in genera redigi possunt, aliquid habent quod vere definire liceat atque hoc est quod eorum naturam constituit. Nempe quae omnibus individuis ejusdem generis communia versantur, finita sunt et eorumdem essentiam declarant : satis est igitur alia aliis superponere et qua congruant notare. Uno verbo, scientia non individua, sed genera tantum describit. Itaque prior scientiae pars nullum in Politica locum habebit, nisi societates humanae divisionem illam per genera ac species patiantur.

Aristoteles quidem aristocratiam, monarchiam atque πολιτείαν jamdudum distinxerat. Ne confundas autem societatum species ac varias reipublicae formas. Duo enim populi diversorum generum esse possunt, etiamsi eodem modo gubernentur. Sic quaedam πόλεις, id est graecae civitates, et pleraeque barbarorum gentes monarchiae nomen aeque merentur et ab Aristotele (1) acceperunt propterea quod sub regibus utraeque vive-

(1) Εἰσὶ βασιλεῖαι τῶν βαρβάρων. (*Pol.*, III, 14, 1285 *a*, 17.)

bant; natura tamen differunt. Quin etiam, apud eumdem populum civitatis regimen commutari potest etsi populus ipse in aliam speciem non ideo transferatur. Ea igitur Aristotelis divisio de societatum natura nihil exprimit. Philosophi autem qui de his rebus postea scripserunt eamdem imitati sunt neque ullam aliam tentavere; scilicet humanas societates inter se comparari posse non credebant, nisi quod ad reipublicae formam attinet. Cetera autem quae ad mores, religionem, commercium, familiam, etc., spectant, ita fortuita et inconstantia esse videbantur ut ea ad genera et species reducere nemo susceperit. Attamen ea sunt quae populorum naturae penitus inhaerent; ea est vera politicae vitae ideoque scientiae materia.

III

At descriptio gradus infimus scientiae quae rerum interpretatione tantum absolvitur. Ad interpretationem autem aliud requiritur quod in factis politicis non minus diu inesse negatum est.

Res enim interpretari nihil aliud est quam ideas, quas de rebus habemus, ordine certo disponere qui idem sit atque ordo rerum. Quod autem hoc continet, in rebus ipsis eundem ordinem existere, id est continuas series esse quarum partes inter se ita connectantur ut effectus quisque eamdem semper causam necessario sequatur neque ex alia oriri queat. Finge contra sublatam hujus nexus necessitatem et effectus sine causis aut e qualibet causa gigni posse, omnia extemplo fluxa et fortuita fiunt; fluxorum autem interpretatio nulla est. Itaque eligendum est: aut res politicae scientiae repugnant aut eadem lege gubernantur qua ceterae mundi partes.

Totam hanc quaestionem excutiendi non hic locus est. Monstrare tantum volumus nullam societatum scientiam esse posse si hac lege liberentur; animadvertas autem, scientia deficiente, artem ipsam, ut vidimus, uno eodemque tempore evanescere aut certe nescio quam facultatem, praeter rationem nostram, adhibendam esse ad praecepta vitae instituenda. Ceterum, cum hoc principium, ex quo res universae arcte inter se nectuntur, in reliqua natura jam experti simus neque unquam falsum occurrerit, idem et in societatibus humanis, quae in natura continentur, valere verisimillimum est. Nihil enim rectae methodo magis contrarium est quam tot et tantas in illa regula exceptiones fingere quarum ne unum quidem exemplum novimus. Multi quidem objecerunt hanc necessitatem cum humana libertate conciliari non posse; hanc autem disputationem, ut in alio libro jam diximus, amovere debemus (1). Etenim, si liberum hominis arbitrium leges necessarias revera tollit, cum voluntas in rebus externis se manifestam necessario efficiat, non modo mentem, sed etiam corpus et res inanimatas omni ordine ideoque scientia expertes esse accipiendum est. At nemo est hodierno tempore qui disputare audeat num naturae scientiae institui possint; non est cur politica scientia eodem jure non fruatur.

Homines autem et ipsi philosophi natura proni sunt ad hoc principium e rebus politicis rejiciendum. Etenim quemadmodum nullas alias actionum nostrarum rationes esse vulgo credimus nisi eas quae sub luce conscientiae voluntatem nostram videntur inclinare, ceterasque negamus esse quia eas non sentimus; ita, in civilibus institutis, causis quae maxime conspicuae sunt vim maxi-

(1) *De la Division du travail social*, p. I et II.

mam attribuimus, quamvis eam ex aliis accipiant: nam naturae consentaneum est ea, quae secundum cognitionem priora sunt, re quoque priora haberi. Quid autem in institutione civitatum, legum, religionum manifestius est, quid oculos magis percellit quam eorum personae qui respublicas gubernarunt, leges scripserunt, sacra edocuerunt? Itaque regum, legislatorum, prophetarum aut sacerdotum privata voluntas totius politicae vitae fons videtur esse. Haec enim in conspectu omnium fiunt nec ullam obscuritatem in se habent. Reliqua contra, quum in secretis corporis politici partibus lateant, non facile conspici possunt. Inde nata est haec adeo vulgata superstitio ex qua legislator quasi infinita potentia instruatur legesque ad libitum creare, mutare, tollere valeat. Quanquam ab historicis hodie demonstratum est jus e moribus, id est e vita ipsa, parvis paulatim incrementis et sine legislatorum consiliis ortum esse, haec tamen opinio humanae menti tam penitus insidet ut in eadem multi etiam nunc perseverent. Qui autem illam accepit, omnem ordinem certum inesse societatibus humanis infitiari debet: leges enim ita, mores, instituta non e constanti quadam civitatis natura sed e fortuito casu penderent qui hunc aut illum legislatorem in ea suscitaverit. Si ex iisdem civibus, alio principe imperante, alia civitas exstare possit, eadem causa, iisdem circumstantiis, varios effectus gignendi facultatem habebit; rationali igitur vinculo res politicae carebunt.

Scientiae politicae nihil majorem moram attulit quam haec doctrina, in qua et philosophi vel prudentes vel inscii diutissime consenserunt. Nam cetera impedimenta, de quibus supra diximus aut infra loquemur, amoveri non poterant quamdiu hoc obstabat. Quamdiu n societatibus omnia adeo fortuita esse videbantur, nemini in mentem venire poterat per genera ac species

eas dividere. Nulla enim genera in rebus existere possunt nisi sint causae quae in variis locis ac temporibus vim suam exhibeant eademque semper et ubique gignant. Praeterea si legislator vitam civilem arbitrio suo instituat et regat, ubi materiam aliquam scientiae invenies? Omnis enim scientiae materia in rebus consistit quae natura sua stant et humanae voluntati reniti valent; si contra in infinitum quasi tractabiles sint, nihil nos stimulabit ut eas observemus. Immo, iisdem nihil inerit quod observatio assequatur; nam si quid proprium per se habeant, nemo eas ad libitum componere poterit. Inde fit ut Politica diu ars tantum fuerit.

At enim nemo unquam negavit humanae naturae scientiam necessariam esse, si quis homines regere velit. Concedo; sed, ut supra monstravimus, haec scientia psychologia, non politica appellanda est; nam ad hominem privatum, non ad civitatem pertinet. Ut vere politica scientia existat, oportet ut civitates naturam quandam habeant quae ex ipsa partium natura e quibus constant earumque dispositione efficiatur et civilia facta gignat : quibus autem positis, fabulosa illa legislatoris persona evanescit.

IV

Attamen non satis est materiam aliquam habere scientiae idoneam. Si genera et leges in rebus imis ita absconduntur ut nullo pacto inde expediri possint, earum scientia in aeternum possibilis tantum manebit. Ut revera instituatur, necesse est aliquam methodum in promptu nobis esse, ad rerum naturam et ad scientiae requisita accommodatam.

Ne credas autem hanc sponte animis occurrere ubi

aditur scientia; contra, non nisi multa tentando invenitur. Vide quam recenter animalium scientia viam repererit vitae leges in vivis ipsis observandi. Psychologia quoque diu erravit priusquam methodum propriam sibi composuerit; politica autem scientia in majoribus etiam difficultatibus impeditur. Res enim tam variae sunt ut quod commune habent quasi velatum lateat; tam mobiles ut observatorem fugere videantur. Praeterea, causae et effectus ita inter se implicantur ut omni modo providendum sit ne aliae cum aliis confundantur. Ante omnia, nulla experimenta in societatibus humanis tentari possunt nec facile reperire est qua alia ratione pro experimento uti possimus. Vides methodum, antequam scientiam inchoaverimus, non constitui posse : e scientia oritur, quamvis eidem necessaria sit.

Quaeramus nunc quatenus varias illas conditiones, omni scientiae necessarias, in suo libro Secundatus expleverit.

CAPUT SECUNDUM

QUATENUS SCIENTIAE POLITICAE MATERIAM PROPRIAM SECUNDATUS ASSIGNAVERIT.

I

Mirum est toties disputatum esse quid Secundatus in libro suo sibi destinaverit : nempe in pluribus locis ipse nos monet quid propositum habeat. « Hoc opus, inquit, pro materia habet leges, mores variasque consuetudines omnium terrae populorum. Immensam hanc materiem merito appelles, quippe quae omnia instituta amplectatur quae apud homines valent (1). » Secundatus ergo res politicas ita tractare aggreditur ut eas, quales sint, scrutetur, « earum origines inquirat causasque reperiat, et quae in corporum et quae in animorum natura jacent (2). » Legislatoris autem partes vires suas excedere humiliter declarat nedum eas affectet, neque praesertim eorum exemplum imitatur qui societatem ex integro reficere suscipiunt. « Non scribo, inquit, ut reprehendam quae in qualibet gente instituta sunt. Sed populus quisque in meo libro inveniet praeceptorum explicationem quae sequitur... Si res mihi ita succedere possit ut omnes cives novas rationes habeant, ut officia sua, suos principes, suam patriam, suas leges melius diligant et magis conscii suae felicitatis efficiantur, in

(1) *Défense de l'Esprit des Lois;* secunda pars, initio.
(2) *Loc. cit.*

quacumque regione aut civitate vivant, me omnium mortalium felicissimum esse censeam (1). »

Hoc consilium tanta cura exsecutus est ut multi eum etiam vituperaverint propterea quod nihil usquam vituperat, sed res ita reveretur ut ne judicare quidem eas audeat. Sane procul abest quin tam aequis oculis res humanas intueatur, eosque, qui hanc incuriam ei objecerunt, sensus operis sine dubio latet. Multa tamen, quae a moribus nostris abhorrent et ab omnibus Europae populis hodie respuuntur, in quorumdam populorum natura bene fundata existimat. Sic quamdam servitutem, temperatam sane et humanam (2), et jus plures uxores habendi (3) et falsas religiones (4) multaque alia ejusmodi quibusdam temporibus et locis apta esse censet; immo hanc civitatis formam quam maxime odit, Tyrannida scilicet, Orientis gentibus necessariam arbitratur.

Ne autem inde concludas Secundatum omni quaestione quae ad usum pertinet abstinuisse. Ipse contra profitetur se inquirere « quae societati humanae summatim et singulis societatibus melius conveniant;... quae per se aliquam utilitatem habeant, et, si duae consuetudines damnosae sint, quae majus, quae minus damnum secum afferat (5). » Itaque, non tantum leges, sed vitae praecepta in ejus libro invenies; non scientiam modo, sed artem. Immo vero non sine quadam ratione vituperari potest quod ea non satis separaverit. Non in una operis parte quod est, in altera quod esse debet quaeritur, sed ars et scientia ita inter se implicantur ut saepius ab una ad alteram sensim traducatur. Duas illas problematum series nondum distincte secernit, sed

(1) *Praefatio*, cf, L. IV, C. 1, nota : « On dit ici ce qui est et non pas ce qui doit être. »
(2) XV, 8.
(3) XVI, 1 et passim.
(4) XXV, 25, 26.
(5) *Défense de l'Esprit des Lois;* pars secunda.

simul agitat: quod non sine incommodo est, nam diversas methodos requirunt.

Ea autem confusio alia est quam quae apud priores philosophos in usu erat. Primum, scientia quae apud Secundatum invenitur vere politica est: nempe non de privati hominis conscientia tractat, sed res politicas pro materia habet. Nova illa igitur scientia, quamquam ab arte non satis discriminatur, certe existit. Praeterea, majorem libri partem occupat, nedum quaestionibus quae ad actum spectant obruatur. Arti praeest, nedum famuletur meliusque igitur suam naturam sequi potest. Scriptor enim sibi ante omnia proposuit quae sunt aut fuerunt cognoscere et explicare. Praecepta vero quae edicuntur nihil aliud plerumque sunt quam veritates, quas scientia methodo sua antea jam demonstraverit, in aliam quamdam linguam translatae. Non agitur enim nescio quam novam civitatem instaurare, sed justas civitatum formas definire: quod scientiae proprium est. Quia autem populo cuique salus suprema lex est (1), ac societas servari nequit ni propriae suae naturae integritatem tueatur, satis est naturam illam describere ut quid petendum, quid fugiendum sit, inde concludatur: morbus enim omni modo vitandus, quidquid contra salubre est optandum. Postquam, exempli gratia, Democratiam demonstravit in parvis civitatibus solum existere posse, praecipue facile erat a nimia finium prolatione omni Democratiae abstinendum. In raris tantum casibus, ut melius infra videbimus (2), evenit ut ars in scientiae locum sine jure succedat.

Ceterum ea ipsa praecepta, propterea quod nova via comparantur, longe differunt ab iis quae apud superiores scriptores politicos inveniuntur. Isti enim ideam quamdam, omnibus locis temporibusque supereminentem,

(1) XXVI, 23.
(2) V. infra, p. 56 et sq.

nobis offerebant quae toti humano generi convenire deberet. Unam civitatis formam, unam morum jurisque disciplinam esse confidebant quae omnium hominum naturae congrueret; ceteras autem, quae in historia occurrunt, pravas aut saltem imperfectas esse et populorum imperitia tantum exstitisse. Nil vero mirum. Nam, cum ab historia oculos averterent, non sentire poterant hominem non semper et ubique eumdem esse, sed contra mobilem et varium, eamque igitur morum, legum, institutorum diversitatem in rerum natura fundatam. Contra Secundatus vitae regulas cum vitae conditionibus mutabiles esse intelligit. Cum in suis investigationibus diversae societatum species ei obversarentur quae aeque justae essent, ne venire quidem in mentem ei poterat praecepta, quae omnibus populis valerent, edicere; sed eadem propriae cujusque generis naturae accommodat. Quod monarchiae appetendum est, idem democratiae fugiendum; neque tamen monarchia, aut contra democratia, per se tantam excellentiam habet ut omnibus civitatibus anteponenda sit (1). Sed, ex temporis locique conditionibus, modo haec, modo illa reipublicae forma convenit (2). Secundatus ergo non adeo incuriosus est de rerum quas describit utilitate; eas autem quaestiones alia ratione quam quae erat in usu tractat. Non omnia quae facta sunt laudat, sed quid bonum sit, quid non, e normis decernit quas e rebus ipsis traxit quaeque, ob eam causam, rerum varietati respondent.

(1) « Il vaut mieux dire que le gouvernement le plus conforme à la nature est celui dont la disposition particulière se rapporte mieux à la disposition du peuple pour lequel il est établi. » (I, 3.)

(2) Miratur sane Monarchiam propterea quod in ejus compositione multo majorem artem invenit; at non ideo existimat eam per se optimam reipublicae formam esse : contra, si forte in civitate quae paucos cives numerat instituatur, perituram societatem.

II

Non modo Secundatus res civiles tanquam materiam observatori propositam attingit, sed easdem arbitratur distinctas ab iis quas ceterae scientiae tractant.

Leges quidem enumerat quae ex humana conditione, remota omni societate, sequantur quaeque igitur ad meram psychologiam pertineant; eas naturae leges appellat (1). Sed quales sint attende : jus vitam servandi aut in pace vivendi (2), jus vescendi, jus utriusque sexus ad alterum inclinationi indulgendi (3), denique jus commercia cum proximis habendi (4). Addit quidem aliquem Dei sensum naturae legem primam esse secundum dignitatem, si non secundum tempora; at non apertum est quem locum inter ceteras ea obtineat (5). Quidquid id est, haec omnia, quemadmodum ex privata vita oriuntur, ita ad privatam vitam spectant, minime autem ad politicam, aut certe eam vix praeparant; hic enim instinctus quoad hominum commercium impellimur, si societati vias aperit, ejus formas, naturam, leges non efficit. Nihil est in civilibus institutis quod ea ratione explicari possit. Ceterum de tota quaestione

(1) « Avant toutes ces lois sont celles de la nature, ainsi nommées parce qu'elles dérivent uniquement de la constitution de notre être. Pour les connaître bien, il faut considérer un homme avant l'établissement des sociétés. » (I, 2.)

(2) « L'homme dans l'état de nature songerait à la conservation de son être, avant de chercher l'origine de son être... On ne chercherait donc point à s'attaquer et la paix serait la première loi naturelle. » (*Ibid.*, cf. XXVI, 3 et 7.)

(3) « La prière naturelle qu'ils se font toujours l'un (un sexe) à l'autre serait une troisième loi. »

(4) « Le désir de vivre en société est une quatrième loi naturelle. »

(5) Ibid., cf. *Défense*, etc., primae partis objectionem sextam. In aliis locis in jure naturali comprehendit quasdam domesticae vitae regulas (XXVI, 4, 5, 14) et pudoris leges (XV, 12, et XXVI, 3). Sed eas forsan ex utriusque sexus ad alterum appetitu sequi existimat.

breviter ac strictim noster loquitur, quippe quae ad propositum suum non recte attineat; sed eam tantum attingit ut materiam suam melius definiat, id est a rebus proximis discriminet.

Leges autem quae civitatem respiciunt a prioribus prorsus separat proprioque nomine appellat (1), quia ex hominis natura deduci nequeunt. Eae sunt de quibus in ejus libro agitur; ea est vera investigationis quam suscepit materia, scilicet jus gentium, jus civile, jus politicum, omnia denique praecipua societatis humanae instituta. Verba autem attente interpretemur. Quanquam varias illas juris formas naturales non vocat, attamen non eas existimat extra naturam esse, sed in rebus fundatas aliter atque priores: nempe e natura non hominis, sed civitatum sequi. Earum causae, non in humana mente, sed in communis vitae conditionibus quaerendae sunt. Si, exempli gratia, juris civilis regulas apud quemdam populum intelligere velis, quomodo cives inter se consocientur, quis sit eorum numerus considerare debes; si juris politici praecepta, quae sit principum privatorumque mutua conditio, etc. Sane, cum societates ex hominibus individuis tantummodo constent, earum natura e natura hominum pro parte pendet; sed homo ipse alius est in diversis societatibus. Non eodem animi habitu est, non eadem cupit in Monarchia atque in Democratia aut in Tyrannide. Quod vero solas leges quae segregem vitam respiciunt naturales appellavit, quasi aliae illud nomen non mererentur, hoc temporis moribus imputandum est. Nam philosophi naturalem vocare solebant hominis statum qui sine societate viveret, ac naturale jus leges quae in tali statu observarentur. Secundatus verbum

(1) *Lois positives* (I, 3).

cum usitato sensu retinuit, quamvis aliquid ambiguitatis haberet.

Hac doctrina novam juris philosophiam instauravit. Etenim, usque ad hoc tempus, philosophi de iis quaestionibus in duas partes scindebantur. Alii jus totum, non rerum natura fundatum, sed hominum libera voluntate et nescio qua originali stipulatione institutum esse docebant. Alii quamdam ejusdem partem — sed hanc tantum — naturalem esse arbitrabantur, scilicet eam quae ex universali hominis notione deduci poterat. Sola enim hominis privati natura ita definita et stabilis esse videbatur ut firmum juri fundamentum esse posset. A prioribus igitur philosophis non adeo isti dissentiebant; nam, cum summa tantum et perpauca principia ad eam originem reduci queant, leges particulares, quae populorum codices implent, humana manu factas et ipsi habebant. Sane Hobbaeo aliisque, qui hominem ad vitam communem impetu naturali impulsum esse negabant, adversabantur, sed, si non societatem ipsam, certe civitatum formas et pleraque civilia instituta e mera conventione pendere arbitrabantur. Secundatus contra non modo generales illas regulas, sed totum legum contextum, quales apud diversas gentes vigent aut viguerunt, naturalem esse profitetur : eas autem ex natura corporis politici, non hominis derivat. Mire enim sensit naturam societatum non minus solidam atque immotam esse quam hominis, neque populos facilius quam animalia ex una specie ad aliam traduci posse. Nihil igitur iniquius sit quam si Secundatum cum Machiavelo compares, quippe qui leges tanquam machinas consideraverit quibus principes ad libitum uti possint. Noster contra non minus stabile fundamentum juri subjecit quam Grotius ejusque sectatores, sed nova illa, quam diximus, ratione.

At enim, in pluribus operis sui locis, de quibusdam principiis etiam civilis politicique juris ita loqui videtur quasi per se stent neque a societatum natura pendeant. « Antequam, inquit, leges institutae essent, quaedam aequitatis relationes erant possibiles. Contendere nihil justum, nihil injustum esse praeter id quod leges ab hominibus institutae jubent aut vetant, idem est atque negare circulorum radios inter se aequos fuisse antequam ab aliqua manu descripti sint (1) .»

Hoc autem iis quae supra exposuimus minime contradicit. Nam propterea quod jus societatum natura fundatur, non ideo asseritur nullam similitudinem inter populorum leges et mores existere. Sed, quemadmodum omnes vel diversissimae civitates aliquid commune habent, ita sunt quaedam leges quae in omni civitate occurrunt. Eae sunt quas Secundatus societati humanae summatim convenire dicit; quae cum, ubicumque societas existit, obversentur, in ipsa societatis notione implicantur eaque expediri possunt. Itaque, ut earum veritas bene demonstretur, non refert utrum ab hominibus revera institutae sint an non, utrum societates existant, an nunquam fuerint; satis est si modo tanquam possibiles concipiantur (2). Has leges in alio loco Secundatus *legem* pure et universe appellat eamque nihil aliud esse dicit quam rationem humanam, quatenus totius terrae populos regat (3); nempe e societatis definitione, si semel eam obtinuerimus, sola vi rationis deduci possunt. Eas ceterum, quia apud omnes gentes occurrunt et quodam sensu ante societatum institutionem esse concipiuntur, a naturae legibus non distincte forsitan separavit.

(1) I, 1.

(2) « Il faut donc avouer des rapports d'équité antérieurs à la loi positive qui les établit : comme, par exemple, que, *supposé qu'il y eût des sociétés d'hommes,* il serait juste de se conformer à leurs lois. » *(Ibid.)*

(3) I, 3.

Unum est quod ei doctrinae merito objici possit. Jus enim moralemque vitam, quae una est, in duas partes scindit quae neque eamdem originem neque eamdem naturam habeant. Non facile igitur videre est quomodo in unum coeant, praesertim quod saepe inter se discordes sunt. Nonnunquam enim evenit ut jus naturale et jus civile aut politicum contraria a nobis requirant; cum nullum commune fundamentum habeant, unde decernetur cui sit obtemperandum? Secundatus quidem existimare videtur naturae leges ante ceteras exsequendas esse (1). Cur autem in omni casu hominis natura magis sacra sit quam societatis, eam noster quaestionem praeterit. Prioribus philosophis ea difficultas non existebat, quippe qui jus ex unico principio deducerent. Si vero duo principia sunt, nostra vita in duos sensus, inter se saepe contrarios, distrahitur. Una igitur via superest qua ex his angustiis evadere possimus, scilicet si ponitur omnes juris et morum regulas, etiam quae privatam vitam respiciunt, e societatis natura sequi. Secundatus autem in eo puncto velut in pluribus aliis, quamvis novam doctrinam instauret, priori tamen pro parte impeditus haeret.

(1) V. XXVI, 3, 4, ac praesertim 5.

CAPUT TERTIUM

QUOMODO CIVITATES PER GENERA AC SPECIES SECUNDATUS DIVISERIT.

I

Secundatus quidem non societates, sed modos quibus gubernantur distinxisse atque igitur usitatam divisionem, aliquatenus mutatam, tantummodo videtur retulisse. Tria enim genera separat : Rempublicam, quae Aristocratiam Democratiamque comprehendit, Monarchiam et Tyrannida. Itaque Comte eum vehementer reprehendit propterea quod, deserto proposito quod in exordio libri exposuerat, ad formam aristotelici operis redierit (1). Si vero rem propius inspicies, constabit has doctrinas fronte tantum similes esse.

Earum diversitas jam manifesta fiet, si modo animadvertes non e numero gubernatorum, ex Aristotelis methodo, hanc divisionem deductam esse. Etenim Democratia et Aristocratia tanquam duae varietates unius ejusdemque generis a Secundato considerantur, quanquam in una omnes, in altera pauci tantummodo cives ad gubernaculum accedunt. Contra Monarchia et Tyrannis, quamvis in utraque imperium penes unum sit, duas, non modo dissimiles, sed etiam inter se plane adversas species constituunt. Itaque multi hanc partitionem insimulaverunt quasi confusam et ambiguam; et merito quidem, si vere Secundatus in societatibus nihil aliud quam civitatis regimen respexisset. Ejus

(1) *Cours de philosophie positive*, IV, 181.

autem ea de re doctrina multo latius patet. Nam haec tria civitatum genera non modo principum numero rerumque publicarum administratione differunt, sed tota natura.

Hoc jam planum erit ubi intellexerimus quomodo ea distinxerit. Etenim, dum Aristoteles ejusque imitatores divisionem suam ex abstracta civitatis notione sumpserunt, Secundatus contra e rebus ipsis. Tria illa genera non ex aliquo principio, *a priori* posito, deduxit, sed societatum comparatione formavit, quas historia aut peregrinatorum relationibus, aut etiam suis ipsius peregrinationibus cognoverat. Itaque verborum sensus lateat nisi primum quaeramus quae gentes ibi significentur.

Rempublicam autem appellat non omnem societatem quae a toto populo aut quadam populi parte administretur, sed Graecas Italicasque antiquitatis civitates, quibus addendae sunt inclytae illae Italiae urbes quae medio aevo floruerunt (1). Priores vero principem locum tenent; in toto libro, quotiescumque de Republica agitur, manifestum est Romam, Athenas, Spartam ante scriptoris oculos versari. Hoc est cur Democratiam et Aristocratiam sub eumdem titulum, Rempublicam scilicet, coegerit. Nam cum apud illas civitates una aut altera forma pariter occurrerit, aut etiam alia alii apud eumdem populum successerit, non omnino separari poterant. Barbarorum contra gentes, quanquam ab universis civibus saepissime gubernantur, non sub eodem nomine confundit, ut postea videbimus, nec dubium est quin Galliam nostram, si formam quam sibi ipsa hodie dederit cognovisset, non inter Respublicas adnumerasset.

(1) V. X, 8, et V, 8.

Quod ad Monarchiam attinet, hanc societatis structuram apud magnos praesentis Europae populos unice reperit (1). Eam enim antiquis populis necessario ignotam esse demonstrat ac primum apparuisse cum Germani in imperium romanum irruerunt ejusque partes inter se diviserunt (2). Sane non ignorat Graecos Latinosque sub regibus diu vixisse; haec autem heroicae aetatis constitutio a vera Monarchiae natura longe diversa esse ei videtur (3). Denique Tyrannida, si, quodam sensu, e qualibet civitatis forma per corruptionem oriri potest, tamen in solo Oriente naturaliter extitisse arbitratur. Hoc verbo Turcos Persas multasque alias Asiae gentes designat quibus septentrionalis Europae populi adsciscendi sunt. Quis autem dubitet antiquas civitates, Orientalia regna et hodiernas occidentalis Europae nationes tres societatum species esse, inter se plane distinctas?

II

Vide ceterum quomodo eas descripserit. Non alias ab aliis tantummodo discriminat propterea quod non eadem ratione gubernantur, sed quia partium numero, dispositione et cohaerentia differunt.

Respublica enim in parvis tantum urbibus floruit neque se ultra angustos fines unquam extendere potuit; hic est civitatum apud antiquos modus. Tyrannis contra apud immensos populos occurrit qui vastos tractus occupant, ut asiaticae gentes. Monarchia denique mediocrem amplitudinem habet et, quemadmodum

(1) XI, 8.
(2) XI, 8, et *Lettres persanes*, 131.
(3) « Le plan de cette constitution est opposé à celui de nos monarchies d'aujourd'hui. » (XI, 11.)

civium numero Rempublicam superat, sic a Tyrannide superatur (1).

Praeterea cives in diversis illis societatibus non eodem ordine disponuntur neque iisdem vinculis consociantur. In Republica, ac praesertim in Democratia, omnes inter se pares sunt, immo similes. Civitas, ut ita dicam, molis speciem habet cujus partes ejusdem naturae sunt aliaeque juxta alias, nulla supereminente, collocantur. Omnes enim de re communi aeque curant; qui magistratus habent, non ceteris superiores sunt, quia honores in tempus tantum gerunt. Quin, et in privata vita non multo magis inter se differunt. Etenim ne quis nimium opibus praestet, Reipublicae principium est (2), aut saltem id ad quod tendit; nam, si absoluta aequalitas non facile perfici potest, certe, ubicumque Respublica existit, leges obstant quin privatorum divitiae inter se nimis distent (3). Hoc autem fieri nequeat si quisque in immensum fortunas suas augere possit; sed necessarium est facultates omnium mediocres esse ut satis aequae sint. Frugalitas, ut ait noster, aequalitatis conditio est. « Cum singuli, inquit, eamdem felicitatem capessere debeant, iisdem voluptatibus frui eademque sperare debent; quod non comparari potest nisi omnium frugalitate (4). »

His conditionibus, res privatae, cum adeo exiguae sint, non multum loci in cujusque vita et mente obtinent, quam contra totam implet communis utilitatis cura. Causa ergo deest ex qua diversitas inter homines praecipue oritur. Quin etiam, haec ipsa privata vita non adeo diversa esse potest. Nempe legitima illa universorum civium mediocritas omnes ferme ad commer-

(1) V. VIII, 15-20.
(2) V, 3 et sq.
(3) V, 5.
(4) V, 3. « Le bon sens et le bonheur des particuliers consiste beaucoup dans la médiocrité de leurs talents et de leurs fortunes. » *(Ibid.)*

cium stimulos tollit, quippe quod sine quadam conditionum inaequalitate difficile existat (1). Itaque singuli fere eadem agunt; scilicet, ex quadam terrae portione, quae omnibus aequa est, quae ad vivendum necessaria sunt quaerere laborant (2). Uno verbo, omnis laboris divisio deest inter corporis politici partes, nisi hoc nomine appellare velimus hanc, de qua diximus, alternis vicibus publicorum magistratuum functionem. Ea quidem pictura Democratiae naturam potius exprimit; Aristocratiam autem, cum Secundato adulterata Democratia esse videatur (eam enim eo magis perfectam esse censet quo Democratiae similior) (3) sine erroris periculo omittere licet.

Quid autem, in tali societate, omnium civium voluntates conspirantes efficiat, facile intelligis. Nempe patriae imago animos tenet, dum singuli propriae suae utilitatis incuriosi sunt, quia nihil fere proprium habent; nihil est igitur quod eos in contrarias partes distrahat. Ea est virtus illa quae Secundato Reipublicae esse fundamentum videtur. Eo enim nomine non virtutem ethicam appellat, sed politicam quae consistit in patriae amore quaque nos nostraque civitati posthabemus (4). Verbum quidem merito reprehendi potest quod ambiguum est; attamen nil mirum si Secundato in mentem sponte occurrerit. Nonne enim virtutem appellamus omnem animi habitum qui nimiam privatae utilitatis curam moderatur? Hic autem in Republica necessario apud

(1) V, 6, et IV, 3.

(2) « L'amour de la frugalité borne le désir d'avoir à l'attention que demande le nécessaire pour sa famille. » (V, 3.)

(3) « Plus une aristocratie approchera de la démocratie, plus elle sera parfaite. » (II, 3.)

(4) « On peut définir cette vertu l'amour des lois et de la patrie. Cet amour, demandant une préférence continuelle de l'intérêt public au sien propre, donne toutes les vertus particulières : elles ne sont que cette préférence. » (IV, 5.)

omnes existit, quoniam civitatis anima, si dicere liceat, cujusque menti insidet, ac contra, ex universa frugalitate, sui amor ipsa materia eget qua ali possit. Cum in cujusque conscientia ea pars, quae civitatem exprimit et in omnibus eadem est, ampla et valida sit, illa contra quae nos tantum nostrasque privatas res respicit exigua et imbellis, cives, non vi externa impulsi, sed impetu naturali, a se ipsis, ut ita dicam, ad commune bonum convertuntur.

Longe alia est Monarchiae natura. In ea omnia officia non modo publicae, sed etiam privatae vitae inter varias civium classes dividuntur. Alii agriculturam, alii commercium, alii artes colunt (1); sunt qui leges creant, qui contra eas exsequuntur sive judicando, sive gubernando (2), ac nemini licet a parte sua discedere alienamque invadere (3). Itaque Monarchia principis unius imperio definiri non potest. Ceterum ipse Secundatus addit nullam societatem hoc nomine appellandam esse etiamsi ab uno regatur, ni leges sint fixae rataeque e quibus rex gubernet quasque arbitrio suo mutare non valeat (4). Hoc autem continet certos ordines esse qui hujus potestatem moderentur. Quamvis supra eos stet, necessarium tamen est eosdem quadam vi propria praeditos esse neque adeo principi impares ut ei resistere nequeant. Finge enim huic auctoritati nihil obstare : nulla lex esse potest quae principis voluntatem contineat, propterea quod leges ipsae ab unica ejus voluntate pendeant.

(1) « Pour que l'état monarchique se soutienne, le luxe doit aller en croissant, du laboureur à l'artisan, au négociant, aux nobles, aux magistrats, etc. » (VII, 4.)

(2) XI, 6.

(3) « Toutes ces prérogatives seront particulières à la noblesse et ne passeront point au peuple, si l'on ne veut choquer le principe du gouvernement. » (V, 9.) — « Il est contre l'esprit du commerce que la noblesse le fasse dans la monarchie. » (XX, 21. Cf. XI, 6.)

(4) II, 1.

Hoc est quo Monarchia differt a ceteris civitatibus : scilicet, laboris partitio, quae in Republica nulla erat, hic maxima incrementa capessivit (1). Societas igitur animali bene comparari possit cujus partes, pro sua quaeque natura, diversa agunt.

Hoc est cur Secundatus politicam libertatem Monarchiae peculiarem existimet (2). Etenim classes aut, si nostris temporibus maxime usitato verbo uti liceat, politici corporis *organa* non modo principem, sed se ipsa mutuo moderantur. Nam, cum unumquodque eorum a ceteris impediatur quin in infinitum crescat et totas corporis vires ad se trahat, singula suam naturam sine obstaculis, at non sine modo, explicare valent. Nunc intelligis quem locum apud Secundatum obtineat inclyta illa de magistratuum divisione doctrina ; nihil aliud est quam forma singularis hujus principii ex quo diversa publica munera inter diversas manus dividi debent. Secundatus tantum momentum huic partitioni attribuit, non ut omnem inter varios magistratus discordiam tollat, sed contra ut melius inter se certent ne quis eorum ceteros exsuperetet ad nihilum redigat (3).

Sociale igitur vinculum non idem esse potest atque in Republica. Quaeque enim classis, cum exiguam tantum politicae vitae partem amplectatur, nihil videt ultra munus quod explet. Itaque non patriae, sed classis

(1) « Les pouvoirs intermédiaires, subordonnés et dépendants, constituent la nature du gouvernement monarchique. » (II, 4). — « Les monarchies se corrompent lorsqu'on ôte peu à peu les prérogatives des corps ou les privilèges des villes. » (VIII, 6.) — « La monarchie se perd lorsqu'un prince... ôte les fonctions naturelles des uns pour les donner arbitrairement aux autres. » *(Ibid.)*

(2) « La démocratie et l'aristocratie ne sont point des états libres par nature. » (XI, 4.)

(3) « La liberté politique ne se trouve que dans les gouvernements modérés. Mais elle n'est pas toujours dans les états modérés : elle n'y est que lorsqu'on n'abuse pas du pouvoir... Pour qu'on ne puisse abuser du pouvoir, il faut que, par la disposition des choses, le pouvoir arrête le pouvoir. » *(Ibid.)*

imago animos tenet; quisque ordo ad id solum tendit ut ipse crescat, non ut res communis augeatur. Immo et privatus quisque civis sibi ipse magis consulit. Etenim, dum, in Republica, ex omnium aequalitate universa frugalitas necessario sequitur, illa contra diversitas cupiditates irritat. Sunt varii gradus honorum, dignitatum, divitiarum, potestatis, ita ut quisque ante oculos habeat aliquam vitae conditionem quae sua ipsius superior est quamque ideo concupiscit (1). Omnia igitur cives a communi utilitate ad privatam convertunt ita ut omnes virtutis illius, quae reipublicae fundamentum est, desint conditiones (2). Sed partium cohaerentia ex ipsa earum diversitate oritur. Haec enim ambitio quae ordines et privatos movet, eosdem stimulat ut munere quisque suo quam optime fungatur. Itaque commune bonum velut inscii assequuntur dum privata tantum commoda affectare se credunt (3). Hoc ipsum inter varias societatis partes certamen earumdem conspirationem efficit.

Hic stimulus vitae publicae in Monarchia a Secundato *honor* appellatur (4). Hoc verbo privatam seu civium seu classium ambitionem designat ex qua nemo conditionem suam deminui libenter patitur, sed contra eamdem quam maxime extollere tentat (5). Quod ceterum non fieri

(1) « Le gouvernement monarchique suppose, comme nous avons dit, des rangs et même une noblesse d'origine. La nature de l'honneur est de demander des préférences et des distinctions; il est donc, par la chose même, placé dans ce gouvernement. » (III, 7.)

(2) « Les vertus qu'on nous y montre sont toujours moins ce que l'on doit aux autres que ce que l'on se doit à soi-même; elles ne sont pas tant ce qui nous appelle vers nos concitoyens que ce qui nous en distingue. » (IV, 2 *initio.*)

(3) « Il se trouve que chacun va au bien commun, croyant aller à ses intérêts particuliers. » (III, 7.)

(4) « L'honneur fait mouvoir toutes les parties du corps politique; *il les lie par son action même.* » (III, 7.)

(5) « L'ambition est pernicieuse dans une république; elle a de bons effets dans la monarchie; elle donne la vie à ce gouvernement. » *(Ibid.)* — « L'honneur, c'est-à-dire le préjugé de chaque personne et de chaque condition. » (III, 6. Cf. XX, 22.)

potest nisi hominibus satis alta indoles sit et quaedam libertatis dignitatisque cura quae non pulchritudine caret (1). Attamen cum *honor* nimium sui amorem excitare possit, in vitium facile vertitur. Eam ob causam, Secundatus in pluribus locis non sine severitate de eo ideoque de Monarchiae moribus loquitur (2). Ne credas autem nostrum hoc judicio Monarchiam elevare voluisse. Haec enim quae fatetur damna ex eo tantum oriuntur quod privatae res increverunt privatique majore libertate fruuntur ad suam utilitatem insequendam. Ceterum virtutem adeo arduam et raram esse existimat ut prudentis esse ei videatur illa quam parcissime uti. Itaque sapientissimam illam societatis compositionem, quae sine virtute homines cogit ut magna suscipiant, tantum miratur ut vitia quaedam facile ei condonet (3).

De Tyrannide brevius loquar quam Secundatus ipse minore cura videtur descripsisse. Ceterum medium inter priores societates locum tenet. Tyrannis enim Monarchia quaedam est in qua omnes ordines aboleantur (4) ac sine ulla laboris divisione, aut Democratia in qua universi cives, excepto principe, inter se pares sint, sed in servitute (5). Portentosi igitur animalis speciem

(1) « L'honneur veut qu'on puisse indifféremment aspirer aux emplois ou les refuser; il tient cette liberté au-dessus de la fortune même. L'honneur a donc ses règles suprêmes. Les principes sont qu'il nous est bien permis de faire cas de notre fortune, mais qu'il nous est souverainement défendu d'en faire aucun de notre vie. La seconde est que, lorsque nous avons été une fois placés dans un rang, nous ne devons rien faire ni souffrir qui fasse voir que nous nous tenons inférieurs à ce rang même. (IV, 2.)

(2) Vide locos apud Janet, *Hist. de la Science politique*, 3e édit., II, 469.

(3) « Dans les monarchies, la politique fait faire les grandes choses avec le moins de vertu qu'elle peut; comme dans les plus belles machines, l'art emploie aussi peu de mouvements, de forces et de roues qu'il est possible. » (III, 5.)

(4) VIII, 6, initio.

(5) « Les hommes sont tous égaux dans le gouvernement républicain; ils sont égaux dans le gouvernement despotique; dans le premier, c'est parce qu'ils sont tout, dans le second, c'est parce qu'ils ne sont rien. » (VI, 2.)

offert in qua caput solum vivit, quippe quod totas corporis vires ad se traxerit (1). Itaque neque virtus vitae publicae principium esse potest quia populus res communes ignorat, neque *honos* quia nulla diversitas existit. Homines societati vinciuntur propterea quod adeo imbelles sunt ut principis voluntatem non resistentes sequantur, id est solo metu (2).

Hoc satis est ut plane demonstretur veras societatum species a Secundato distinctas esse. Id etiam manifestius fiat si in singula descendas. Nam non structurae modo principia diversa sunt, sed tota vita. Mores (3), religiones (4), familia (5), matrimonium (6), puerorum institutio (7), crimina et poenae (8) non eadem sunt in Republica atque in Tyrannide aut in Monarchia. Immo societatum differentias animadvertisse potius videtur quam ea quae omnibus communia sunt.

III

At enim, si vere societatum species separaverit ac descripserit, cur eas ita definiit et his nominibus appellavit? Nempe non ex laboris divisione, non e socialis vinculi natura illas distinguit et nominat, sed ex unica summae auctoritatis constitutione.

Haec autem inter se non repugnant. Etenim necessarium erat unumquodque genus ea proprietate notare

(1) « Le despotisme se suffit à lui-même; tout est vide autour de lui. » (VI, 1, in fine.)
(2) III, 9.
(3) XIX, 2.
(4) XXIV, 5.
(5) XXIII.
(6) XVI.
(7) IV.
(8) XII, 18 et sq.

quae in eodem praecipua est et quam ceterae sequuntur. Primo autem adspectu, forma gubernationis hanc conditionem videtur explere. Nihil enim magis conspicuum est in publica vita; nihil magis in se omnium oculos movet. Cum princeps in societatis, ut ita dicam, culmine stet et corporis politici caput saepe neque immerito appelletur, ab eo omnia pendere existimantur. Adde quod, cum philosophi ad hoc tempus nihil aliud in politicis rebus reperissent quod per genera et species dividi posset, difficile Secundato erat, quamvis novum aliquid ipse tentaret, eorum doctrinam omnino exuere. Ea causa est quare formas societatum e gubernationis formis discernere susceperit. Sane multa methodo objici possunt quam secutus est. Hoc enim signum nihil per se proprii ac peculiaris habet, sed, ut jam monstravimus, summi imperii natura mutari potest dum natura societatis immutata manet, aut contra una et eadem esse in societatibus quae longissime inter se distant. Sed error verbis potius quam rebus inest; nam praeter quae ad populi regimen pertinent, multa alia enumerat quibus societates alias ab aliis discriminat.

Immo vero, si verba quibus utitur negligimus, nihil forsan in toto opere reperietur quod verius et acutius sit quam haec divisio cujus principia etiam nunc servari possunt. Etenim, non solum tres illae vitae communis formae quas descripsit tres distinctas species revera constituunt, sed etiam earum descriptio, qualem in ejus libro invenimus, earumdem naturam propriasque differentias non sine quadam veritate exprimit. Sane in antiquis civitatibus aequalitas et frugalitas non tantae fuerunt quantas Secundatus credidit. Attamen constat in iis, praesertim si cum hodiernis populis comparentur, privatas res angustissimum spatium habuisse quo se extenderent, communes contra amplum. Mire sensit

Romae et Athenis pauca cujusque civis propria fuisse, atque hanc fuisse causam qua societas fieret una. Contra, apud nos, privatae vitae fines latius prolatae sunt; unusquisque nostrum suam indolem habet, suas opiniones, suos mores, suam religionem, seque et suas res a societate publicisque rebus penitus secernit. Populi igitur consensus non idem esse neque ex eadem origine oriri potest, sed ex laboris divisione quae cives et ordines alios aliis necessarios efficit. Denique hoc genus, quod Tyrannida vocat, a ceteris prudentissime separavit. Nam Persarum aut Turcorum imperium nihil commune habet cum graecis italicisve civitatibus neque cum christianis Europae gentibus.

At enim Tyrannis forma tantum Monarchiae est; rex enim, et in Monarchia, leges mutandi jus habet; ergo ipsius voluntas suprema lex est. Notandum vero earum societatum structuram omnino diversam esse : nempe, in Tyrannide, ea diversitate caret quae Monarchiae peculiaris est. Ceterum nil refert utrum rex in Monarchia leges mutandi jus habeat an non; nam facultatem reipsa non habet, propterea quod ordinum potestas ipsius potestatem continet. Secundato quidem merito objectum est tyrannorum imperium sine ullo modo nusquam exstitisse (1). Sed scriptor ipse primam quam dederat definitionem emendavit et in ipsa quoque Tyrannide quoddam esse summae potestatis temperamentum agnovit, sed aliud atque in Monarchia. Etenim non ex diversorum ordinum institutione oritur, sed e summa et singulari auctoritate qua religio non modo apud populum, sed etiam apud tyrannum fruitur (2).

(1) Janet, *op. cit.*, II, 345.

(2) « C'est la religion qui corrige un peu la constitution turque. » (V 14.) — « Il y a pourtant une chose que l'on peut quelquefois opposer à la volonté du prince, c'est la religion. » (III, 10.) — « De là vient que, dans ce pays, la

Nec dubium est quin religio in iis societatibus eam vim revera habeat. Nam non modo a principis voluntate non pendet, sed contra princeps, ut noster bene animadvertit (1), ab ea ipsa immanem suam potestatem accipit; nil ergo mirum si ab eadem contineatur.

Si vero Secundati doctrinam his de rebus penitus intelligere velis, quartum genus prioribus addendum est quod ab interpretibus immerito omitti solet. Dignum autem est quod nos moretur, nam ex eo Monarchia exstitit (2). Scilicet societates comprehendit quae venando aut pecora pascendo vivunt. A ceteris enim multis et eximiis rebus differunt: cives perpauci sunt (3); terra inter eos non dividitur (4), non legibus sed moribus reguntur (5), senes apud eos maximam auctoritatem habent, sed libertatis tam studiosi sunt ut nullum stabile imperium patiantur (6). Certum est eam esse gentium inferiorum naturam quae, ob hanc causam, Democratia inferior appellari possit. Hoc autem genus in duas varietates Secundatus dividit. Cum per parvas hujusmodi nationes homines separantur quae nulla societate inter se conjunguntur, feras gentes illas appellat; barbaricas vero, si in unam coeunt (7). Aliae venationem, aliae pastorum vitam potius colunt.

religion a ordinairement tant de forces, c'est qu'elle forme une espèce de dépôt et de permanence, et, si ce n'est pas la religion, ce sont les coutumes qu'on y vénère au lieu de lois. » (II, 4.)

(1) « Dans les empires mahométans, c'est de la religion que les peuples tirent en partie le respect étonnant qu'ils ont pour le prince. » (V, 14.)

(2) XI, 8.

(3) XVIII, 10.

(4) XVIII, 13.

(5) Ibid.

(6) XVIII, 14.

(7) XVIII. 1.

Societatum igitur divisio, qualem Secundatus esse concepit, sequenti tabula exprimitur :

Societates

Quae definitam summi imperii constitutionem habent.....	Monarchia.	
	Respublica..	Aristocratia.
		Democratia.
	Tyrannis (1).	
Sine definita summi imperii constitutione.....	Barbaricae gentes.	
	Ferae gentes.	

Quicumque hanc tabulam ante oculos habet multasque illas populorum varietates quas comprehendit, Secundatum intelligit non Aristotelis divisionem paulo infidelius retulisse, sed aliquod novum instauravisse.

(1) Quibus addendae sunt societates quae e pluribus populis, foedere conjunctis, constant. (IX, 1-3.)

CAPUT QUARTUM

QUATENUS POLITICARUM RERUM LEGES CERTAS ESSE SECUNDATUS SENSERIT

I

Age vero; non solum societates per genera dividit, sed politica facta ac praesertim ea de quibus praecipue loquitur, leges scilicet, ordinem certum sequi rationalique igitur interpretationi idonea esse existimat. Hoc jam apparet e libri initio ubi praeclaram illam legum definitionem invenies : Leges sunt necessariae connexiones quae ex rerum natura sequuntur. Hoc enim non modo naturae leges, sed et eas quibus humanae societates reguntur comprehendit.

Comte quidem Secundatum criminatus est quasi ab hoc principio postea ita declinasset ut in rerum multitudine, quae in reliquo opere accumulantur, nullus ordo reperiri possit (1). Haec autem accusatio a veritate recedit. Etenim quotiescumque de lege aliqua agitur, eam a certis conditionibus pendentem nobis ostendit. Duo sunt autem illarum conditionum genera. Aliae naturae rerum quas lex spectat inhaerent; scilicet, si ad commercium pertinet, commercii naturae, si vero ad religionem, religionis. Est autem alia causa quae suam vim multo latius extendit ceterisque praevalet; id est natura societatis. Pleraeque enim leges, ut jam diximus, non eaedem esse possunt in Monarchia atque

(1) *Cours de phil. pos.*, IV, 181.

in Republica aut in Tyrannide; denique in gentibus inferioribus omnino desunt. Itaque fac populum unius aut alterius generis esse, unus omnium legum tenor necessario sequitur.

Quin Secundatus causarum effectuumque seriem etiam longius repetit. Non modo demonstrat leges e societatis forma pendere, sed et causas e quibus ipsae societatum formae pendent inquirit : inter quas primas partes tenet societatis amplitudo.

Finge enim societatem in angustos fines contractam; nemo est quin res communes ante oculos continuo habeat et animo amplectatur. Praeterea, cum vitae conditiones omnibus eaedem ferme sint — nam in tali civitate spatium ipsum diversitati deest — et vivendi ratio non varia esse potest; etiam qui gubernaculum tenent, propterea quod parva potestate, pro populi parvitate, instruuntur, nihil aliud sunt quam primi inter pares. Patriae igitur imago non modo omnium menti obversatur, sed maximam vim habet quia nulla alia continetur (1). Ex hac descriptione Reipublicae naturam agnoscis (2). Si vero societas crescit, omnia mutantur. Nam commune bonum sentire privato cuique civi jam difficilius est, quippe qui publicarum rerum exiguam tantum partem adspiciat. Circumstantiae praeterea, cum multo magis diversae sint, singulos impellunt ut alii alio tendant et ferantur in diversa. Adde summam auctoritatem tantam effici ut, qui eam exercet, ceteris longe superemineat (3). Itaque ex Republica societas in

(1) « Dans une petite république, le bien public est mieux senti, mieux connu, plus près de chaque citoyen. » (VIII, 16.)

(2) « Il est de la nature de la république qu'elle n'ait qu'un petit territoire ; sans cela, elle ne peut guère subsister. » *(Ibid.)*

(3) « Dans une grande république, il y a de grandes fortunes ; il y a de trop grands dépôts à mettre entre les mains d'un citoyen ; les intérêts se particularisent. » *(Ibid.)*

Monarchiam necessario evadit (1). Si vero non modo modestam, sed nimiam amplitudinem habet, Monarchia abit in Tyrannida. Nam vastum imperium non stare possit nisi princeps absolutam potestatem habeat qua tot populos tanto spatio dispersos contineat (2). Adeo arcta est ea connexio inter naturam societatum earumdemque amplitudinem ut cujusque principium pereat si populus ultra modum crescit aut contra minuitur (3).

Sane multa sunt in iis quae redargui debeant. Etenim innumeri sunt populi qui, quanquam mediocrem aut etiam exiguam amplitudinem habent, sub tyrannis vivunt. Alii contra, ut Judaeorum gens, quamvis graecas italicasque civitates magnitudine longe exsuperaverint, quamdam tamen Democratiae formam praebuerunt. Praeterea in ipsa explicatione, si in singula descenderis, non nihil incerti vagique saepius reperies. Nihilominus ingenui sui acumen Secundatus ostendit cum civium numero tantum pondus attribuit. Ea enim causa maximam vim habet ad res politicas definiendas; quin eam quasi fontem esse credimus ex quo praecipuae differentiae inter societates ortae sunt. Prout incolae pauci sunt aut contra numerosi, religio, familia, mores, jus, etc., non eadem esse possunt. Hoc unum Secundatum latuit non civium numerum qui sub eadem auctoritate rediguntur referre, sed eorum qui commercio aliquo conjunguntur. Nam quamvis multi eidem principi pareant, si alii ab aliis ita distant ut

(1) « Un état monarchique doit être d'une grandeur médiocre; s'il était petit, il se formerait en république. » (VIII, 17.)

(2) « Un grand empire suppose une autorité despotique dans celui qui gouverne. » (VIII, 19.)

(3) « Il suit que pour conserver le principe du gouvernement établi, il faut maintenir l'État dans la grandeur qu'il avait déjà. » (VIII, 20.)

nulla aut rara tantum commercia inter eos existere possint, eorum copia nullius effectus est.

Ceterum, praeter hanc causam, plures alias Secundatus addit quae per se nonnihil valent ad societates constituendas. Eae sunt de quibus interpretes praecipue disseruerunt. Sic natura soli, si in vastis continuisque campis consistit, Tyrannidis institutioni favet propterea quod magna imperia ibi facilius sese possunt extendere. Montana contra aut insulae libertatis arces sunt quia principis auctoritas montibus aut oceano quasi frangitur (1). Non modo terrae forma, sed ipsius natura consideranda est. Quaedam sterilitas, cum animos ad laborem et frugalitatem impellat, Reipublicae viam aperit; fertilitas contra, quae divitiarum amorem privataeque utilitatis curam excitat, Monarchiae (2); si vero nimia est, gentium inferiorum Democratiae (3). Nam terrae, cum sponte fructus edant, non coluntur ideoque inter cives non dividuntur. Denique caeli calor animos et corpora effeminat hominesque ad servitutem cogit (4).

Ex iisdem vero causis non modo natura societatis et inde totum jus summatim pro parte pendet, sed et peculiares quaedam leges tales efficiuntur quales sunt. Sic nimius caeli ardor servorum ad privatos usus institutionem (5) et jus plures feminas habendi (6) multosque domesticos mores (7) suscitat. Praeterea mentis corporisque segnities, quae inde sequitur, leges, religiones,

(1) XVII, 6, et XVIII, 5.
(2) XVIII, 1 et 2.
(3) XVIII, 9 et sq.
(4) XVII, 2.
(5) XV, 7.
(6) XVI, 2.
(7) XVI, 10.

mores immobiles efficit (1). Ex iisdem causis commercii natura alia est in Oriente atque in Europa (2).

Quamvis has causas non pari linea atque priorem posuerit ac praevalere tantum apud feras gentes ipse agnoverit (3), fatendum est tamen earum vim nusquam tantam fuisse quantam judicavit. Domestica enim et politica privataque virtus in regionibus, quae caeli terraeque natura longissime differunt, aeque occurrit. Sed, quidquid id est, hoc ipsum ostendit quantum Secundatus senserit res politicas legibus certis subditas esse. Etenim omnia haec, si in breve coguntur, huc redeunt : ex populi cujusdam magnitudine, ex soli forma quod idem occupet, ex terrae caelique natura deduci posse cujus generis sit illa societas et quae sint hujus leges et instituta.

Sed unam tantum doctrinae partem, quam Secundatus in suo libro exposuit, adhuc retulimus. Aliam nunc videamus quae priori contraria esse videtur. Haec contradictio digna est quam penitus inspiciamus. Ex ea enim melius intelligetur non modo quae sit integra scriptoris nostri sententia, sed etiam quae difficultates, Secundati saeculo atque etiam nostro tempore, politicae scientiae institutioni obstiterint.

II

Quicumque, ut supra vidimus, in politica vita ordinem certum esse existimat, legislatoris partes necessario elevat. Nam civilia instituta, si e rerum natura sequuntur, non ex unius civis aut plurium voluntate pendent.

(1) XIV, 4.
(2) XXI, 1.
(3) « La nature et le climat dominent presque seuls chez les sauvages. » (XIX, 4.)

Contra, apud Secundatum, legislatoris persona manifesto ita eminet ut tanquam necessarius legum artifex appareat. In multis operis locis, de Romanorum, Spartanorum, Atheniensium legibus ita loquitur quasi a Romulo aut Numa, a Solone, a Lycurgo creatae fuissent (1). Cum, in alio libro, primas Romanae civitatis origines enarrat, tanquam principium statuit, populorum nascentium instituta a principibus fieri et posterius tantum principes ex institutis instrui (2). Hoc est cur leges a moribus omnino separet : mores enim e communi vita sponte nascuntur, leges contra sine peculiari quadam legislatoris institutione existere nequeunt (3). Is est hujus sententiae sensus quam in primo libri capite invenies : « Quanquam ad societatem nati, homines publica sua officia oblivisci poterant nisi ad ea a legislatoribus revocati fuissent (4). » Sane leges de omni re et ad libitum creari posse non credit ; sed mores et religionem extra legislatoris potestatem esse arbitratur et leges ipsas quae de aliis rebus feruntur moribus et religioni accommodandas esse (5). Nihilominus earum institutio in legislatoris manu versatur. Immo sunt societates in quibus non leges tantum, sed et religio moresque a principe informari possunt (6). Quanquam hoc in raris

(1) « Je prie qu'on fasse un peu d'attention à l'étendue du génie qu'il fallut à ces législateurs pour voir qu'en choquant tous les usages reçus... ils montreraient à l'univers leur sagesse. » (IV, 34. Cf. V, 5, et XIX, 16.)

(2) « Dans la naissance des sociétés, ce sont les chefs des républiques qui font l'institution, et c'est ensuite l'institution qui forme les chefs des républiques. » (*Grandeur et Décadence des Romains,* chap. I.)

(3) « Les lois sont établies, les mœurs sont inspirées ; celles-ci tiennent plus à l'esprit général, celles-là tiennent plus à une institution particulière. » (XIX, 12.) — « Nous avons dit que les lois étaient des institutions particulières et précises du législateur, les mœurs et les manières des institutions de la nation en général. » (XIX, 14.)

(4) *In fine.*

(5) XIX, 21.

(6) XIX, 16 et 19.

tantum casibus occurrit, eo tamen monstratur quantum, ex Secundato, valeat principis auctoritas.

Facile intelliges unde hoc venerit si modo perspexeris quo sensu Secundatus dixerit leges humanas e rerum natura sequi. Sententia enim per se ambigua est et duplicem interpretationem patitur. Aut leges e rerum, id est e societatum natura necessario oriuntur ut effectus e causa quae eum gignit; aut media quaedam tantummodo sunt quae societatis natura requirit ut ipsa absolvatur, id est ad finem suum perveniat; quibus tamen carere potest. Aliis verbis, utrum intelligendum est societatis statum legum causam efficientem esse, an earumdem causam tantummodo finalem? Priorem autem sensum ne suspicari quidem videtur Secundatus. Non dicit ex paucitate civium, ineluctabili quadam necessitate, Democratiae leges nasci tanquam calorem ex igne, sed eas solas esse quibus frugalitas et omnium aequalitas, quae in hujusmodi societatis natura est, ad effectum adduci queat. Ceterum non ideo leges ex libidine fabricari possunt; nam, datis quibusdam populi conditionibus, unum legum corpus est quod ei conveniat nec ullum aliud imponi possit sine societatis corruptione. Sed ut provideatur quid genti cuique congruat, necesse est homines esse qui acuto ingenio rerum naturam scrutentur et quo tendi debeat et qua via dispiciant. Hoc est legislatorum munus; nil mirum igitur si Secundatus primatum quemdam illis attribuerit. Finge contra leges e causis efficientibus oriri quarum etiam homines saepius inconscii sunt, legislatoris officia jam minuuntur; nam in eo tantum consistunt ut, quod in ceteris conscientiis obscurius latet, manifestius exprimat. Sed nihil aut fere nihil novum excogitat; immo, etiamsi absit, nihil impedit quin leges exstent quanquam minus definitae. Sane non scribi possunt nisi per legislatorem;

hic autem instrumentum potius est quo instituantur quam earum causa generatrix.

Non hic locus est disputandi num sint civilia instituta quae a causis finalibus tota pendeant; at certe non dubium est ea rarissima esse. Etenim politica vita tot tantaque in se continet ut nemo eam animo amplecti valeat; itaque non facile est quid eidem profuturum sit, quid non, praevidere. Etiamsi haec computatio mentem humanam plerumque non exsuperet, adeo abstrusa est ut non magnam vim habere possit ad voluntates movendas. Res igitur civiles non ex ratione constituta fieri solent; leges non media sunt quae legislator excogitat propterea quod societatis naturae concinere videntur; sed e causis saepissime nascuntur quae eas gignunt physica quadam necessitate. Ex conditionibus in quibus versatur populus communis vita ita efficitur ut formam quamdam definitam necessario induat; leges autem hanc formam exprimunt; ex iisdem igitur efficientibus causis eadem necessitate sequuntur. Si vero hoc infitieris, tum accipiendum sit plerasque res politicas et praesertim eas quae majoris momenti sint, omnino sine causis esse. Nullus enim unquam homo exstitit qui ex parva Romae nascentis amplitudine leges, quae tali populo convenirent, deduxerit; aequalitatem et frugalitatem, quam illae e Secundato praecipiebant, non ipsae creaverunt, sed, ex ea ipsa ortae, eamdem tantum confirmavere.

Hoc sane sensisset Secundatus si perspexisset leges a moribus non natura distare, sed contra ab iis emanare (1).

(1) Sane legislatorem jubet populi mores et ingenium sequi (XIX, 2-6) legesque demonstrat quamdam vim habere ad mores informandos (XIX, 27). Ea tamen ita separat ut quod legibus institutum est et legibus tantum mutari posse censeat, moribus vero quod ad mores attinet (XIX, 14). Inde fit ut non facile intellexerit quo modo omnia haec apud quosdam populos confusa sint. (XIX, 16 et sq.)

Nam nihil aliud sunt quam mores melius definiti; mores autem nemo nescit non consulto instituì, sed causis quae suos effectus, inscius ipsis hominibus, edunt generari. Itaque non alia est plerarumque legum origo. Non tamen ideo utilitate carent: contra non durare possent nisi quas utiles partes in societate tenerent. Sed non hujus utilitatis causa natae sunt: quae contra vulgo ignoratur, nedum provisa sit. Sentimus enim juris aut morum regulas bonas esse, sed, cum interrogamur quo pertineant, sine fine disputatur. Sin igitur quaerere licet qua ratione lex aliqua societati prosit, non ideo explicatur unde ea venerit. Itaque, qui politicarum rerum finales causas unice indagatur, mancam scientiam effingit, quippe quem earumdem origines lateant. Ea autem erit politica scientia si Secundati methodum sequemur.

III

Quin etiam non modo juris regulae e societatis natura non necessario sequuntur, quippe quae in rebus absconditae latere queant, nisi quis legislator eas adspiciat et in lucem edat, sed et aliam formam ex Secundato habere possunt quam quae e causis, a quibus pendent, sequitur. Humanis enim societatibus nescio quam facultatem attribuit a sua ipsarum natura declinandi : leges naturales, quae suae constitutioni inhaerent, homines non eadem necessitate sequantur qua res inanimatae, sed jugum interdum excutere valeant(1). Rebus igitur politicis *contingentiam* supponit quae,

(1) « Mais il s'en faut bien que le monde intelligent soit aussi bien gouverné que le monde physique. Car quoique celui-là ait aussi des lois qui, par leur nature, sont invariables, il ne les suit pas constamment comme le monde physique suit les siennes. » (I, 1.)

primo quidem adspectu, cum ordinis certi existentia non coire posse videtur; namque, si ita se res haberet, connexiones inter causas et effectus non constantes nec immotae manerent. Itaque refert quae sit haec contingentia definire; nam valde timendum est ne fundamenta ipsa politicae scientiae eruat.

Forsitan in mentem tibi veniet Secundatum hanc contingentiam statuisse quia, ea sublata, et humana libertas tolli videatur. At, si hanc causam vere haberet, sine ulla exceptione esset et totam vitam amplecteretur. Mirum autem esset scriptorem nostrum a se ipso ita dissensisse, quippe qui homines et societates legibus regi tam expressis verbis declaraverit easque reperire tentaverit. Praeterea minime verisimile est hujus doctrinam quacumque metaphysica fundatam esse. Nihil est enim in toto opere quod aliquam metaphysicarum quaestionum curam ostendat; nusquam de libero arbitrio agitur. Itaque non est cur haec philosophorum hypothesis tantam apud eum vim habuerit. Ceterum est in primo libri capite locus qui hanc interpretationem manifesto refellit. Nam Secundatus hanc contingentiam non hominis propriam esse dicit, sed eamdem et in ceteris animalibus reperit, imo in plantis ipsis omnino non abesse existimare videtur (1).

Ipse nos monet se hanc contingentiam tantummodo excogitavisse ut errores unde existant explicare posset (2). Si enim nunquam erraremus, naturae nostrae

(1) « (Les bêtes) ont des lois naturelles, parce qu'elles sont unies par le sentiment... Elles ne suivent pas pourtant invariablement leurs lois naturelles : les plantes, en qui nous ne remarquons ni connaissance ni sentiment, les suivent mieux. » (I, 1.)

(2) « Il s'en faut que le monde intelligent soit aussi bien gouverné que le monde physique... La raison en est que les êtres particuliers intelligents sont bornés par leur nature et, par conséquent, sujets à l'erreur; et, d'un autre côté, il est de leur nature qu'ils agissent par eux-mêmes. » (I, 1. Cf. ejusdem capitis finem.)

leges in omni occasione sequeremur. Si vero intelligere velis quid Secundatum ad hanc opinionem adduxerit, primum ponendum est quid per rerum naturam significet. Eo autem verbo designat non omnes alicujus rei proprietates, sed eas tantum quae ceteras in se contineant et rem faciant unius aut alterius generis esse (1), id est hujus essentiam. Praeterea logicum quoddam vinculum esse putat inter hanc naturam normalesque rei formas, ita ut eae priori implicentur. Itaque si homines et populi naturae suae nunquam derogent, semper et ubique erunt quales esse debent. Sunt autem in privata politicaque vita imperfecta multa; sunt iniquae leges, vitiosae institutiones quas societates e legislatorum erroribus acceperunt. Omnia haec humanam quamdam facultatem a naturae legibus aberrandi significare Secundato videntur. Non ideo causis carent; causae autem illae fortuitae sunt et, ut ita dicam, adventiciae (2). Non igitur ad leges reduci queunt; rerum enim corrumpunt naturam quam contra leges exprimunt.

Sane principium, a quo tota haec argumentatio pendet, falsum est. Isti enim errores, quatenus ad civilem vitam attinent, nihil aliud sunt nisi corporis politici morbi; morbus autem animantium naturae non minus inest quam bona valetudo. Haec ergo non inter se contraria sunt, sed contra ejusdem generis, ita ut comparari possint et ex ea comparatione utriusque interpretatio proficiat. Sed haec falsa opinio cum externa rerum specie tam bene congruit ut etiam in physiologia diu permanserit. Nempe quia manifestum esse videtur animantes natura sanos esse, inde concluditur morbum, propterea quod valetudini obstat, vitae naturam violare.

(1) « Il y a cette différence entre la nature du gouvernement et son principe que sa nature est ce qui le fait être tel. » (III, 1.)

(2) V. VIII, 10.

Itaque jam Aristoteles morbos et monstra omnesque enormes vitae formas esse fructus obscurae cujusdam contingentiae arbitrabatur (1). Scientia igitur politica statim ab isto errore liberari non poterat, praesertim cum morbus majorem locum nusquam teneat quam in humanis societatibus, normalisque status nusquam incertior sit ac difficilius definiatur.

Sic plures loci explanantur ubi Secundatus legislatorem mira quadam potestate instruere videtur naturae ipsi vim inferendi. In regionibus, exempli gratia, ubi nimius solis ardor ad nimiam pigritiam incolas invitat, legislatorem jubet eam omni via compescere (2). At quamvis hoc vitium e causis physicis oriatur, tamen qui ei obstat naturam non violare nostro videtur, sed contra homines ad normalem ipsorum naturam revocare quae tantam segnitiem non patitur (3). Eamdem ob causam apud feroces populos terribiles poenas instituere necessarium esse dicit ut haec morum ferocitas comprimatur (4). In omnibus istis casibus legislator tantam potentiam habet non quod societates legibus ac natura definita careant ideoque ad libitum componi possint; sed contra quia secundum normalem hominum societatumque naturam agit eique tantum auxiliatur.

Haec doctrina igitur non mera expressaque contradictione inficitur. Secundatus enim non iisdem politicis factis ordinem certum inesse eumdemque deesse dicit; sed, ubicumque res justae sunt, secundum leges necessarias fiunt eaque necessitas tantummodo cessat cum

(1) Zeller, *Philosophie der Griechen*, tertia editio, II, pars secunda, p. 333.
(2) XIV, 16.
(3) « Quand donc la puissance physique de certains climats viole la loi naturelle..., c'est au législateur à faire des lois civiles qui forcent la nature du climat et rétablissent les lois primitives. » (XVI, 12.)
(4) « Le peuple japonais a un caractère si atroce que ses législateurs et ses magistrats n'ont pu avoir aucune confiance en lui; ils ne lui ont mis devant les yeux que des juges, des menaces et des châtiments. » (XV, 15.)

a normali statu deflectitur. Itaque politica scientia hac contingentia non evertitur; sed tantum minuitur. Nempe pro materia solas fere habet normales politicae vitae formas. Morbi autem, nostri sententia, extra scientiam paene sunt, quia extra naturae leges ponuntur.

Ipsa autem naturalis legis conceptio, quam omnia haec continent, multum adhuc retinuit quod obscurum et incertum est. Leges enim sunt necessariae rerum connexiones; si vero interdum violari possunt, non veram necessitatem habent, sed mere logicam. Scilicet exprimunt quod in societatis definitione implicatur; societas autem aliam formam affectare potest quam quae ex sua natura rationaliter sequitur. Per eas igitur discimus non quod est, sed quod est rationale. Immo, quamvis Secundatus non existimet homines semper aut plerumque a recta via aberrasse, sed contra quod longa et generali experientia confirmatum est sponte revereatur, tamen quasdam deformitates omnibus ejusdem generis individuis esse confidit. Non sensit nihil fere in tota specie universale esse posse quod non certis necessitatibus respondeat. Exempli gratia, quamvis servitutis institutio apud omnes graecas italicasque antiquitatis civitates in usu fuerit, eam tamen a Reipublicae natura abhorrere declarat (1). Quanquam jus repudii tantummodo virorum est ubicumque feminae in domestica servitute vivunt, in iisdem societatibus solis feminis hanc facultatem vindicat (2). Quin est unum societatum genus, Tyrannis scilicet, quod Secundatus aliquid vitiosi et corrupti per se habere censet, quamvis idem in quibusdam locis necessarium esse ipse agnoscat (3). Ordo

(1) XV, 1, in fine.

(2) XVI, 15.

(3) « Le principe du gouvernement despotique se corrompt sans cesse, parce qu'il est corrompu par sa nature. » (VIII, 10.)

igitur, quem in iis conditionibus scientia indagari debet, non modo non is est qui semper et ubique existat, sed etiam evenire potest ut nunquam exstiterit. Itaque leges, quae eum referunt, idealem quamdam formam necessario habent; nam rerum connexiones exprimunt non quales sunt, sed quales esse debent. Non rebus insunt, ut ceterae naturae leges, aut potius non res ipsae sunt quatenus sub certo quodam adspectu considerantur, sed eas ex alto quasi dominantur, quamvis suae auctoritati non semper nec necessario obtemperetur.

Ea via est qua Secundatus ad antiquam politicae scientiae conceptionem pro parte revertitur; sed pro parte tantum. Sane huc et illuc in eo est ut naturae leges cum praeceptis, quae quid faciendum sit edicunt, confundat. Sed procul abest quin, priscorum philosophorum instar, naturam, qualis est, omittat ut aliam instituat. Nempe, quanquam nullum certum principium ea de re statuit, sponte tamen intellexit in raris tantum casibus aliquid universale esse posse quod non simul sanum et rationale sit. Itaque societatum species, ut vidimus, ex historia describere et explicare tentavit, easque tantum corrigere ausus est cum in iis aliquid reperiret quod cum eorumdem essentia, qualem ex rerum observatione concluserat, congruere non arbitrabatur. Sin igitur apud Secundatum legis naturalis notio non ad totam politicam vitam, certe ad majorem hujus partem sese extendit. Si dubii aliquid et vagi adhuc retinet ex antiqua artis et scientiae confusione, hoc interdum tantum manifestum apparet.

CAPUT QUINTUM

DE METHODO QUAM SECUNDATUS SECUTUS EST

I

Quamdiu Politica in arte consistebat, politici scriptores deductione praecipue utebantur. Scilicet ex universali hominis notione trahebant quae societatis forma humanae naturae conveniret et quae praecepta in communi vita observanda essent. Hujus methodi vitia inutile est enumerare. Per deductionem enim, in ipsa arte, nihil aliud assequi possumus quam meras hypotheses. Sola vi rationis nemo asserere potest praeceptum aliquod utile esse cujus utilitatem non expertus sit. Sed ni scientia praesertim, cum ab arte separatur, necesse est deductio secundas tantummodo partes occupet, certe ubi de rebus, non de abstractis notionibus, ut in mathematicis, agitur. Sane deductio cogitationes nobis suppetit quae nostram investigationem per rerum ambages ducunt; sed quoad observatione confirmatae sunt, incertum est num res vere exprimant. Naturae leges nulla alia via reperiri possunt quam si natura ipsa attente consideretur. Immo observare non satis est, oportet praeterea ut eam interrogemus, sollicitemus, omni modo tentemus. Politicae igitur scientiae, propterea quod res pro materia habet, experimentalis methodus sola succedere potest.

Hanc autem methodum non facile est nostrae scien-

tiae accommodare, quia experimenta in societatibus tentari nequeunt. Est tamen obliqua via qua difficultas exsuperatur. Etenim ad naturae leges reperiendas nihil aliud necessarium est quam satis multas comparationes inter varias ejusdem rei formas institui posse. Hac enim arte constantes immotaeque connexiones, quas lex exprimit, a ceteris, id est fugitivis fortuitisque, secernentur. Itaque tota experimentationis vis in eo tantum consistit ut res fere ad libitum variet atque ita amplam uberamque comparationi materiam praebeat. At nil obstat quin civilia ejusdem generis facta, qualia apud varias societates occurrunt, comparemus atque notemus quae eorum ubique coeant, quae simul evanescant, quae eodem tempore et secundum eamdem rationem mutentur. Eae igitur comparationes, quanquam hoc incommodi habent ut non in infinitum renoventur, experimentationis tamen partes in politica scientia tenere possunt.

Quanquam Secundatus hanc quaestionem nusquam agitavit, tamen hujus methodi necessitatem sponte sensit. Etenim nullo alio proposito tot facta ex variarum gentium historia collegit nisi ut ea inter se conferret illaque collatione eorumdem leges inveniret. Revera manifestum est opus totum in legum comparatione consistere quas diversissimi populi observant eoque libro noster vere dici potest hoc novum studiorum genus instaurasse quod hodierna nostra lingua *droit comparé* appellamus.

At, si deductio apud Secundatum experientiae cessit, multo majus spatium adhuc obtinet quam scientiae natura patitur.

Ipse enim, jam in sua praefatione, legentem monet se Politicam more quasi mathematico tractare voluisse; id est principia posuisse unde particulares legum socie-

tates logice sequerentur (1). Sane necessarium intellexit haec principia e rerum observatione trahere (2); sed in iis totam scientiam quasi implicari credit, ita ut, ubi semel ad ea pervenerimus, sola deductione absolvi possit. Nec dubium est quin hac via et ratione procedere revera susceperit. Primum enim animadverte quomodo inductiva methodo utatur. Non incipit facta omnia, quae ad quaestionem attinent, colligere, referre, ut aequa mente examinari et perpendi possint; sed plerumque mera deductione primum probat quod in animo habet. Monstrat scilicet hoc in natura aut, si id dicere velis, essentia societatis, vel hominis, vel commercii, vel religionis, uno verbo in rerum, de quibus agitur, definitione involvi; posterius tantum facta quae hypothesin confirmare videntur, exponit (3). Qui vero pro comperto habet sola experientia demonstrari posse quae sint rerum connexiones, non deductionem experientiae praeficit; non principem locum argumentis assignat quae nihil fere ad demonstrandum valere censet quibusque diffidit, sed primum res observat ac postea tantum quod observatum est deductione interpretatur.

Ceterum, si ipsas nostri demonstrationes consideres, facile videbis totam vim earum in deductione consis-

(1) « J'ai posé les principes et j'ai vu les cas particuliers s'y plier comme d'eux-mêmes, les histoires de toutes les nations n'en être que les suites. »

(2) « Je n'ai point tiré mes principes de mes préjugés, mais de la nature des choses. » *(Ibid.)*

(3) Innumera exempla citari possint quae per totum opus invenies. Sic postquam tria societatum genera definiit, ex iisdem definitionibus eorumdem principia deducit. « *Il ne m'en faut pas davantage pour trouver les trois principes; ils en dérivent naturellement.* » (III, 2.) Tum ex iis principiis leges quae ad jus civile, ad poenas, ad feminarum conditionem spectant, trahit. Vide ipsos titulos capitum V et VI *(Conséquences des principes des gouvernements par rapport à la simplicité des lois criminelles, la forme des jugements, etc., — par rapport aux lois somptuaires, etc.)*.

tere. Sane quae ita concludit observatione plerumque confirmat; sed quam infirma est tota haec argumentationis pars! Facta quae ex historia refert breviter ac summatim exponit neque multum curat ut ea, qualia vere sunt, constituantur, etiamsi controversiae materiam praebeant (1). Eadem praeterea sine ordine et confuse enumerat. Si causalem nexum inter duo facta esse asserit, non ea in omnibus aut saltem plerisque casibus simul apparere, vel simul deficere, vel eodem modo variari ostendit. Satis habet si exempla aliquot proferri possunt quae cum lege supposita non male quadrent. Immo evenit ut de tota specie aliquid affirmet quod apud unam societatem observavit. Sic magistratuum divisionem, quanquam apud solos Anglos reperitur Monarchiae propriam esse dicit (2) et ex ea divisione libertatem sequi declarat quanquam inscius est num apud ipsos Anglos vere exstiterit (3). Uno verbo, non deductione utitur ut quod experientia probatum est interpretetur, sed potius experientia ut deductionis conclusiones exemplis explanet. Ergo, cum deductio peracta est, fere tota demonstratio perfecta esse ei videtur.

Quin etiam sunt, Secundati sententia, ut jam diximus, quaedam instituta quae, quamvis in omnibus ejusdem generis societatibus exstent aut exstiterint, iisdem tamen non conveniunt. Hoc autem unam ob rationem affirmat et affirmare potest : scilicet quia haec instituta

(1) Sic quae de frugalitate et aequalitate apud antiquos, aut de causis quae societatum principia corrumpunt, aut de feminarum conditione dicit (XVI). Omnia haec innumeras quaestiones et difficultates involvunt quae non statim solvi possunt.

(2) XI, 6.

(3) « Ce n'est pas à moi à examiner si les Anglais jouissent actuellement de cette liberté ou non. Il me suffit de dire qu'elle est établie par leurs lois. » (XI, 6.)

e principiis, quae antea posuit, non deduci posse existimat. Etenim servitutis institutionem et Reipublicae definitionem inter se contraria esse ostendit. Sic Tyrannida odit quia societatis atque etiam hominis essentiae, qualem esse concipit, logice repugnat (1). Deductio igitur in quibusdam casibus etiam contra observationem et experientiam praevalet.

Sin ergo inductio in politica scientia primum apud Secundatum apparet, contraria methodo nondum discessit eaque admixtione adulteratur. Ut noster novam viam ingressus est, ita tamen tritam non deseruit. Ea autem methodi ambiguitas ex ipsa doctrinae, quam supra retulimus, ambiguitate sequitur. Etenim si normales societatis formae in ejusdem natura comprehenduntur, ex hujus naturae definitione concludi possunt; eas autem logicas necessitudines Secundatus leges appellat. Si res adeo rationi nostrae cognatae sunt, ratio sufficit ad eas interpretandas. Miraberis forsitan hanc intimam rerum naturam adeo apertam videri ut jam e scientiae exordio cognosci et definiri possit, cum contra scientia peracta potius quam incipiente determinari posse videatur. Hoc autem cum Secundati principiis bene constat. Quemadmodum vinculum, quod inter politica facta et societatis essentiam existit, rationabile est, ita et ea ipsa essentia, quae totius hujus deductionis fons est, eamdem naturam habet, id est in simplici notione consistit quam ratio celeri inspectione amplecti valet. Uno verbo, Secundatus non satis sentit quantum, ut ait Verulamius, rerum subtilitas humanae mentis subtilitatem exsuperet; ea est causa cur rationi et deduc-

(1) « Après tout ce que nous venons de dire, il semblerait que la nature humaine se soulèverait contre le gouvernement despotique. » (V, 14.)

tioni adeo confidat. Ceterum non contendimus res civiles per se absurdas esse. Sed si quaedam logica in iis latet, alia est atque illa quam in deducendo observamus; non eamdem simplicitatem habet; quin alias leges forte sequitur. Itaque necesse est eam e rebus ipsis ediscamus.

Haec autem confusio ab alia causa quoque pendet. Societatis leges, ut vidimus, violari possunt; ergo ex sola rerum observatione atque etiam comparatione constitui nequeunt. Quod est, non necessario rationale est; leges autem nihil habent quod non rationale sit. Itaque etiamsi aliquid historia comprobaveris, non omnino certus eris id verum esse. Sunt vitia quae apud omnes ejusdem generis gentes occurrunt. Ergo ex eo quod apud istas reperitur earumdem normalis forma describi non potest. Si rerum natura experientia non fideliter deprehenditur, non ex sola experientia disces quae ex ea natura sequuntur. Nulla igitur alia via restat quam ut hanc ipsam essentiam assequamur, definiamus atque ex ea definitione id quod involvit deducamus. Ne concludas autem observationem ideo inutilem, sed aliquatenus suspectam habendam esse quamdiu deductione non confirmata est, et, si forte confirmari non possit, rejiciendam. Vides quam necessarium sit in politica scientia signum certum in rebus ipsis invenire quo morbus et bona valetudo secernantur. Eo enim deficiente, ad deductionem necessario confugitur et simul a rebus receditur.

II

Sive autem deductione seu inductione procedat, regulam quamdam methodi sequitur quae praesenti scientiae retinenda est.

Res politicae per diversas species vulgo dividuntur quas, prima quidem inspectione, nullam inter se cognationem habere dicas. Est enim alia religionis natura, alia juris et morum, alia commercii aut administrationis. Itaque de unaquaque classe separatim tractari diu solitum est atque etiam nunc solet, quasi per se, abstractisque aliis, explorari et explicari possit, haud secus atque in physica de corporum gravitate, seorsus a colore, disseritur. Ceterum eamdem factorum classem cum aliis communicare non ideo negatur, sed leviter tantum, ita ut, cum intima rerum natura non attingatur, omnia haec commercia sine incommodo negligi possint. Sic, exempli gratia, plerique qui de ethica scribunt, mores et vivendi praecepta, quae in usu sunt aut esse debent, tractant quasi per se existentia, neque ab iis curatur quae sit apud easdem societates divitiarum natura; qui vero de divitiis, non minore vehementia contendunt scientiam quam colunt, politicam oeconomiam scilicet, omnino sui juris esse, suoque munere fungi posse etiamsi hoc regularum corpus, quod ethicam constituit, prorsus ignoretur. Multa alia ejusdem generis exempla referri possint.

Secundatus contra bene perspexit omnia haec inter se ita cohaerere ut singula per se, remotis ceteris, intelligi nequeant; itaque non jus a moribus, a religione, a commercio, etc., separat neque praesertim a societatis forma quae suam vim ad omnes res civiles extendit. Etenim, quamvis diversa sint, unius ejusdemque societatis vitam exprimunt; variis ejusdem corporis politici partibus aut organis respondent. Sin autem non quaeratur quomodo organa inter se consentiant aliaque ab aliis afficiantur, quale sit uniuscujusque munus definiri non poterit. Immo eorumdem natura prorsus latebit: nam totidem res per se existentes esse videbuntur,

dum rei partes tantummodo sunt. Inde nati sunt errores qui apud multos etiam nunc valent. Inde fit enim ut politica oeconomia privatae utilitatis curam unicum societatis principium saepissime habuerit et legislatori jus denegaverit in negotiis quae ad commercium et operosas artes attinent sese immiscendi. Contra, sed ob eamdem causam, in ethica jus dominii tanquam aliquid per se immotum et inconcussum plerumque habetur, dum e conditionibus pendet quas divitiarum scientia determinat quaeque maxime instabiles et diversae sunt.

Immo vero hunc errorem discutere necessarium erat non modo ut politica scientia proficeret, sed etiam constitueretur. Sane diversa illa studia, quae sub variis titulis de politicis rebus separatim tractabant, illam praeparavere quippe quae ex iis constet. Attamen vere tantum exstitit cum manifestum tandem apparuit particulares illas scientias arcta necessitudine inter se coniungi et membra unius corporis esse. Ad eam autem animi conceptionem perveniri non poterat quamdiu ignorabatur omnia quae in societate fiunt inter se cognata esse. Secundatus ergo, mutuas politicarum rerum connexiones demonstrando, hanc unitatem scientiae nostrae praesensit, confuse quidem. Etenim nusquam dicit his quaestionibus, quas agitat, definitam quamdam scientiam constitui posse quae omnia civilia facta amplectatur, quae suam methodum habeat proprioque nomine appellanda sit. Sed, in re, primum hujus scientiae specimen quasi inscius posteritati dedit. Sin igitur quod in suis principiis involvebatur, non expresse concludit, certe successoribus suis viam aperuit qui, cum *sociologiam* instituent, fere nihil aliud novi facient nisi studiorum generi, quod noster tentavit, nomen imponent.

III

Est autem peculiaris quaedam notio quae, temporibus nostris, politicae scientiae methodum renovavit quamque Secundatus ignorasse videtur; haec est — si Gallicum verbum in latinam linguam paene integrum transferre liceat — notio progressus. Sed in quo illa consistat videamus.

Si populi inter se comparantur, primum apparet certas formas aut proprietates, quae intimae societatum naturae manifeste inhaerent, apud quosdam vix inchoatas, apud alios contra insigniores esse; alii parvi sunt et per vasta spatia dispersi, alii majores et densi; alii omni stabilito imperio carent, dum apud alios reipublicae administratio non modo constituitur, sed ad omnes corporis politici partes suam vim extendit; atque sunt inter eos innumeri gradus interpositi. Itaque, quod ad hoc pertinet, non omnes, ut ita dicam, dignitatem habent, sed alii aliis superiores aut inferiores dici possunt. Praeterea observatum est superiores ex inferioribus natos esse. Equidem non dico societatum seriem rectae lineae formam habere cujus novissimi populi summam, antiqui vero imam extremitatem occupent; contra arboris speciem potius affectat cujus rami in diversas regiones extenduntur. At parum id propositi refert. Nihilominus verum restat societates alias ab aliis ortas esse et recentiores prioribus praestare; hoc est quod humani generis progressionem appellamus. Si vero unum populum ex se consideres, idem reperietur. Scilicet ex tempore quo esse incipit supra speciem, e qua ortus est, sese paulatim extollit humanaeque naturae pro-

gressus e singulis illis incrementis, quae sensim accumulata sunt, constat.

Haec autem Secundatus non perspexit. Sane non omnes societates in aequo ponit; Rempublicam et Monarchiam Tyrannidi (1) praefert, Reipublicae Monarchiam (2), Rempublicam vero barbarorum democratiae (3). At non suspicatur varias illas societatum species ex eadem stirpe descendisse aliasque aliis successisse; contra singulas putat seorsum a ceteris constitutas esse. Monarchia quidem excipienda est quam ex inferiore democratia natam esse dicit (4). Sed ex ea ipsa exceptione melius etiam patet quam longe ab ea progressus notione Secundatus absit; nempe, hoc societatum genus, quod nullo alio superius esse censet, ex eo quod omnium infimum habetur protinus natum existimat. Ob eamdem rationem, cum de singulis gentibus loquitur, earum sane principium crescere posse aut corrumpi non negat (5), sed idem fixum et definitum ex primo initio esse credit atque integrum per totam earum historiam servandum esse (6). Non sentit societatum naturam contraria, quae inter se certant, in se habere propterea quod ex antecedenti forma paulatim tantum sese exsolvit paulatimque ad eam tendit quae

(1) L'inconvénient n'est pas lorsque l'Etat passe d'un gouvernement modéré, comme de la république à la monarchie ou de la monarchie à la république, mais quand il tombe et se précipite du gouvernement modéré au despotisme. » (VIII, 8.)

(2) XI, 8, in fine.

(3) « Comme les peuples qui vivent sous une bonne police sont plus heureux que ceux qui, sans règle et sans chefs, errent dans les forêts. » (V, 11.)

(4) Monarchiam germanarum gentium corruptione exstitisse dicit (XI, 8), germanos autem barbarorum vitam duxisse (XVIII, 22 et 30.Cf. XVIII, 14.)

(5) « Un état peut changer de deux manières : ou parce que la constitution se corrige, ou parce qu'elle se corrompt. » (XI, 13.)

(6) « S'il (l'État) a conservé ses principes et que la constitution change, c'est qu'elle se corrige; s'il a perdu ses principes, quand la constitution vient à changer, c'est qu'elle se corrompt. » (XI, 13.)

e se ipsa nascetur. Eum latuit perpetuus ille processus in quo societas, quamvis sibi ipsi semper constet, tamen novum aliquid continuo evadit.

Inde autem aliquid singulare in usurpata methodo secutum est.

Sunt enim duo conditionum genera quae politicam vitam movent. Aliae in praesentibus circumstantiis jacent, ut natura soli, civium numero, etc.; aliae in praeterita historia versantur. Etenim quemadmodum puer quivis alius esset si alios habuisset genitores, societas alia est secundum societatum antecedentium formam. Si inferioribus populis succedit, non idem esse potest atque si e perpolitis nationibus orta est. Secundatus autem, propterea quod hanc societatum successionem et cognationem ignorat, hujus generis causas omnino negligit. Eam vim quae populos, ut ita dicam, a tergo impellit minime curat et circumfusa tantum respicit. Cum alicujus societatis historiam interpretari suscipit, non quaerit quem locum in societatum serie teneat, sed tantum quale sit solum, quam multi sint cives, etc. Nihil igitur huic methodo magis contrarium est quam Comte recentius in iisdem quaestionibus tractandis secutus est. Comte enim societatum naturam ex temporis momento, quo apparuerunt, totam pendere existimat scientiamque politicam paene integram consistere in societatum serie constituenda. Addere autem supervacuum est utraque doctrina unam tantum veritatis partem exprimi.

CONCLUSIO

In sua politicae philosophiae historia P. Janet, postquam Secundati doctrinam exposuit, merito queritur quod plerique, qui de eo scripserunt, sibi tantum proposuere singulos errores quos admiserit persequi, additque multo melius et aequabilius futurum esse si quis accurate demonstret quam ampla et obscura materia esset quam noster suscepit, et quanta vi ingenii ea potitus sit (1). Hoc est quod tentavimus. Secundati enim opiniones de singulis quaestionibus quae in ejus libro agitantur, praeterivimus et in eo tantum constitimus quod praecipua ejus laus esse nobis videtur. Scilicet quanquam cujuslibet scientiae originem ab hoc aut illo homine numerare semper falsi aliquid habet, — fit enim omnis scientia e continuis incrementis neque facile dici potest quo temporis puncto esse inceperit — certum tamen est praecipua politicae scientiae principia apud Secundatum primum constituta esse (2). Non ea quidem expressis verbis professus est; nempe de scientiae conditionibus quam instauravit non multum

(1) *Histoire de la Science politique,* tertia editio, II, 317-319.

(2) Comte quidem in suo *Cours de philosophie positive* (IV, 178-185) jam agnovit quantum Secundatus de politica scientia meritus sit. Hoc autem judicium brevissimum est, pro parte falsum, ut supra vidimus, ac praesertim non ex attenta ac diligenti doctrinae meditatione sequi vide[illegible]

philosophatur. Sed in ipsa ejus doctrina latent nec difficile est ea perspicere et in lucem edere.

Qualia vero essent supra vidimus. Non modo intellexit res politicas scientiae materiam esse, sed cardinales, ut ita dicam, notiones, quae hujus scientiae institutioni necessariae erant, pro parte constituit. Eae autem duae sunt: notio generis ac notio legis.

Earum prior in Secundati libro sine dubio apparet. Monstrat enim non modo summi imperii constitutionem, sed totam civilem vitam e societatibus diversam esse, diversas vero illas formas eas tamen esse quae inter se conferri queant. Hoc autem necessarium erat ut genera ac species distinguerentur; nam non satis est societates ex una aut altera parte quasdam similitudines offerre, sed totam earumdem structuram et vitam comparari posse oportet. Quin etiam, non modo principia posuit, sed iis haud infeliciter usus est; ea enim divisio quam tentavit ipsam rerum divisionem non sine quadam veritate exprimit. Duobus punctis tantum peccat. Primum falso posuit formas societatum e summi imperii formis sequi iisque definiri posse. Praeterea unum ex generibus quae distinguit, id est Tyrannida, aliquid vitiosi per se habere ducit; quod a generis natura abhorret. Nam unicuique generi sua perfectio est quae, pro temporis locique conditionibus quibus respondet, ceterorum perfectioni aequa est.

Legis vero notionem difficilius erat ex aliis scientiis, ubi jam existebat, in nostram transferre. Etenim in omni scientia generis notio prior semper apparet quia humana mente promptius concipitur. Nam satis est oculos in res conjicere ut quaedam similitudines et differentiae in iis animadvertantur. Definitae autem illae connexiones, quas leges appellamus, quia rerum naturae propiores sunt, intra latent; velamentum quasi iis ob-

tenditur quod primum removendum est ut ipsae attingi et in lucem proferri possint. Praeterea, quod ad politicam scientiam peculiariter attinet, propriae quaedam difficultates erant quae e natura ipsius politicae vitae sequebantur. Adeo enim mobilis est, adeo varia et multiformis ut ad certas immotasque leges redigi posse non videatur. Adde quod homines non libenter credunt se eadem necessitate teneri atque ceteras res naturae.

Secundatus tamen, invita rerum specie, ordinem fixum et necessarium civilibus rebus inesse asserit; societates negat ad libitum compositas esse (1) earumque historiam e fortuitis causis pendere; sed pro comperto habet leges esse quae hanc mundi partem gubernent. Illas autem confuse concipit. Non exprimunt enim quomodo societatis natura civilia instituta gignat, sed quae sint instituta quae societatis natura requirit, quasi eorum causa efficiens in sola legislatoris voluntate quaerenda sit. Praeterea eo nomine Secundatus appellat notionum potius quam rerum connexiones. Sane eae sunt quas societas, si secum constet, necessario observet, sed sibi ipsi dissentiendi facultatem habet. Hujus tamen Politica non in meram dialecticam vertitur quia quod rationale est, id plerumque revera existere intellexit; ea igitur idearum logica rebus quoque pro parte inest. Sunt vero exceptiones quae hujus notionis ambiguitatem produnt.

Ambiguitatem illam discutere, hoc est quod politica scientia post Secundatum ante omnia desiderabat. Etenim non longius progredi poterat quamdiu non demonstratum erat societatum leges non alias esse atque in reliqua natura neque methodum ad eas reperiendas

(1) « J'ai d'abord examiné les hommes, et j'ai cru que, dans cette infinie diversité de lois et de mœurs, ils n'étaient pas uniquement conduits par leurs fantaisies. » *(Praef.)*

aliam atque in ceteris naturae scientiis. Hoc est quod Comte huic scientiae conferet. Ex legis notione alienum illud, quod eam etiam tum vitiabat, purgabit atque inductivae methodo, ut aequum est, primas partes vindicabit. Tum scientia nostra conscia erit et quo tendere debeat et qua via; tum omnia fere fundamenta, quae necessaria erant ut aedificari posset, stabunt praeparata. Ex hoc opusculo judicare licet quae pars in ea praeparatione Secundati fuerit.

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. D. X. Kal. dec. ann. MDCCCXCII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiae Parisiensis rector,

GRÉARD.

INDEX RERUM

		Paginae
PROOEMIUM		7-9
CAPUT PRIMUM...	Quae sint conditiones institutioni politicae scientiae necessariae.....	11-21
CAPUT SECUNDUM.	Quatenus scientiae politicae materiam propriam Secundatus assignaverit..	22-30
CAPUT TERTIUM...	Quomodo civitates per genera ac species Secundatus diviserit.....	31-44
CAPUT QUARTUM..	Quatenus politicarum rerum leges certas esse Secundatus senserit.....	45-58
CAPUT QUINTUM..	De methodo quam Secundatus secutus est.....	59-69
CONCLUSIO.....		71-74

ERRATA

Pag. 17, lin. 25, pro *eundem*, lege *eumdem*.
— 19, — 33, — *n societatibus*, lege *in societatibus*.
— 20, — 19, — *quandam*, lege *quamdam*.
— 26, — 17, — *quoad hominum*, lege *quo ad hominum*.
— 37, — 16, — *quam forma*, lege *nisi forma*.
— 59, — 9, — *sed ni*, lege *sed in*.
— 59, — 10, — *scientia praesertim, cum*, lege *scientia, praesertim cum*.

Burdigalae. — Ex typis GOUNOUILHOU, 11, via dicta Guiraude.

3 2044 012 937 173

incu
specifi
omptly.